

PONTIFICIUM CONSILII
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXV - N. 2

1993

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1993

Sped. Abb. Postale - gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCUTIONES

Ex allocutione Summi Pontificis in Aëronavium Portu <i>Denveriensis</i> habita	163
Ex allocutione Summi Pontificis ad iuvenes in <i>Cherry Creek State Park</i> congregatos habita	165
Ex allocutione Summi Pontificis ad quosdam Episcopos Civitatum Foederatarum Americaee Septemtrionalis Sacra Limina visitantes	167
Ex allocutione Summi Pontificis ad quosdam Episcopos Australiae, visitationis "Ad Limina" occasione oblata	170
Ex allocutione Summi Pontificis ad quosdam Canadae Episcopos in sacrorum limi- num visitatione	171

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAЕ TRIBUNAL

Responsio per generale decretum ad propositum quaesitum de can. 1673, 3° CIC	174
--	-----

ACTA CONSILII

Quaestiones quaedam studio Pontificii Consilii submissae	176
Pontificii Consilii Publicationes	177

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studii «De sacra Hierarchy» (olim «De Clericis») (Sessio XVII)	179
II. Coetus studii «De sacra Hierarchy» (olim «De Clericis») (Sessio XVIII)	210
III. Coetus studii «De Institutis Perfectionis» (Sessio V)	230
IV. Coetus studii «De Institutis Perfectionis» (Sessio VI)	270
Opera a Consilii Bibliotheca recepta	327
Notitiae	328

IV
COETUS STUDII
« DE INSTITUTIS PERFECTIONIS »
Sessio VI
(dd. 24-29 martii a. 1969 habita)

Diebus 24-29 martii 1969, in aula huius Pontificiae Commissionis convenerunt Consultores Coetus Studii « De Institutis perfectionis », sub directione Rev.mi P. Bidagor S.J. Secretarii Commissionis. Conventibus intererant praeter Coetus Relatorem duo Exc.mi atque octo Rev.mi Consultores. Actuarii munere functus est Rev.mus Herranz, a studiis Commissionis. Aberant, legitime impediti, Exc.mus unus ac quattuor Rev.mi Consultores et unus Ill.mus Consultor.

**I. SCHEMA GENERALE LEGISLATIONIS DE INSTITUTIS
PERFECTIONIS PROPONITUR**


In initio huius sessionis studii, Rev.mus Secretarius gratias refert Rev.mo Relatori pro schemate generali iuris recognoscendi « De Institutis perfectionis » quod diligenter apparavit cum adiutorio Rev.morum duorum Consultorum et ipsius Secretarii Commissionis. Necessitas habendi hoc schema generale — ait Rev.mus Bidagor — a pluribus declarata fuit, ita ut tota materia apte ordinari et explicari possit. Rogat ergo Rev.mum Relatorem ut huiusmodi schema quod proponitur ceteris Consultoribus coetus illustrare velit.

Rev.mus Relator ita facit, exponens cum diversos titulos duarum partium schematis tum etiam rationes seu notas quae in relatione scripta ipsius schematis prostant (quae omnia his actis adnectuntur: cfr. Adnexum I). Schema propositum est sequens:

PARS GENERALIS
DE IIS QUAE INSTITUTIS PERFECTIONIS SUNT COMMUNIA

Canones Praeliminares.

Titulus I: De erectione, fusione, suppressione Institutorum, provinciarum, domorum.



- Titulus II:* De dependentia Institutorum ab Ecclesiastica Auctoritate.
- Titulus III:* De Institutorum regimine.
- Titulus IV:* De bonis temporalibus Institutorum eorumque administratione (remissive).
- Titulus V:* De admissione in Institutum.
- Art. 1: De praeparatione recipiendorum.
 - Art. 2: De receptorum institutione.
 - Art. 3: De sodalium cooptatione in Institutum.
 - Art. 4: De ulteriore sodalium formatione.
- Titulus VI:* De obligationibus Institutorum eorumque sodalium.
- Titulus VII:* De Institutorum actione apostolica.
- Titulus VIII:* De voluntaria separatione ab Instituto.
- Art. 1: De transitu ad aliud Institutum.
 - Art. 2: De egressu ab Instituto.
- Titulus IX:* De Dimissione ab Instituto.
- Art. 1: De dimissione eorum qui temporarie in Istitutum cooptati sunt.
 - Art. 2: De dimissione sodalium qui perpetuo cooptati sunt.

PARS SPECIALIS

DE IIS QUAE NONNULLIS INSTITUTIS PERFECTIONIS
SUNT PROPRIA

Canones Praeliminares.

SECTIO PRIMA: De Institutis monasticis

- Titulus I:* De monachis.
- Titulus II:* De monialibus.
- Titulus III:* De clausura monialium.

SECTIO SECUNDA: De Institutis religiosis operibus apostolatus deditis.

- Titulus I:* De Institutis religiosis clericalibus.
- Titulus II:* De Institutis religiosis laicalibus.

SECTIO TERTIA: De Societatibus vitae communis.

SECTIO QUARTA: De Institutis saecularibus.

SECTIO QUINTA: De Institutis exemptis;

Antequam incipiat disceptatio de schemate proposito, Rev.mus Secretarius sequentia praemittenda censem:

1) Schema consulto nihil dicit de constitutionibus singulorum Institutorum. Constitutiones enim maius momentum hodie habent ad ius particulare statuendum, dum ius commune statuere debet principia constitutiva vitae eorum qui consilia evangelica profitentur atque normas generaliores disciplinae quibus eorum actuositas in servitio Ecclesiae regi debet.

2) Titulus IV primae partis remissive ponitur, quia in alio Coetu studii manifestatum fuit desiderium ut omnia quae ius patrimoniale Ecclesiae tangunt habeant tractationem unicam, ne eadem res repetantur in pluribus Codicis partibus.

3) De Institutis monasticis sectio specialis facta est ad mentem Concilii Vaticani II. Hoc revera a pluribus monachis exoptatur. Si res ferat, forsan commissio peculiaris constituenda est ad perpendendam legislationem huius specialis sectionis.

4) Sectiones quoque speciales factae sunt pro Societatibus vitae communis et pro Institutis Saecularibus. Hoc forsan solvere non potest problema particularia quae ponuntur pro aliquibus Societatibus vitae communis et pro quibusdam Institutis Saecularibus, sed quoad hoc casus particulares Codex providere potest aliis locis, nam ius consociativum in Ecclesia amplius patet quam leges condendae circa Instituta perfectionis.

5) Quoad sectionem quintam secundae partis, animadvertere iuvat sermonem de Institutis exemptis ultimo loco factum esse propter rationes indolis technicae iuridicae, quas Rev.mus Relator in relatione exposuit. Hoc tamen nihil tollit peculiari praestantiae horum Institutorum.

6) Denique prae oculis habendum est legislationem de Institutis perfectionis proprium locum in Codice habere, a ceteris formis consociativis clare distinctum, ut iam approbatum est a Patribus Commissionis in schemate provisorio ordinis systematici novi Codicis. Instituta enim perfectionis, uti a Concilio sancitum est in Const. dogm. « Lumen gentium », proprium statum constituunt, a statu communi christifidelium diversum.

His omnibus praemissis, Rev.mus Secretarius Consultores rogat ut animadversiones sive generales sive particulares ad schema proponant. Ipsum, enim, schema perficiendum quidem est, etiam sub respectu terminologico.

Exc.mus primus Consultor laudat tum schema propositum, quod val-

de utile esse potest pro futuro labore ordinando, tum introductionem termini «Instituta perfectionis», quae terminologia iam adhibita est a Joanne XXIII. Status, seu peculiaris condicio iuridica eorum qui consilia evangelica profitentur est unicus et bene determinatus, etsi plurali forma detur iuxta diversitates specierum Institutorum. Sermo ergo faciendus est non de statibus perfectionis, sed de Institutis perfectionis. Divisio praeterea in duas partes optima est, sed forsitan in prima parte nimis inhaeret ordini hodierni Codicis; melius esset si ea quae sunt essentialia — nempe, finis et natura Institutorum perfectionis, obligationes sodalium, admissio in Institutum, etc. — in prioribus titulis ponantur, uti ordinarie fit in fere omnibus constitutionibus post Codicem approbatis, et etiam in ipso Decreto «Perfectae caritatis». Quoad secundam partem — concludit Exc.mus — divisio forsitan non est exhaustiva, quia ex. gr. multa adsunt Instituta mere contemplativa quae non sunt monastica; de Institutis autem exemptis non fiat sectio specialis, sed hi canones ponantur in prima parte schematis, sub titulo «de dependentia Institutorum ab ecclesiastica Auctoritate».

Exc.mus secundus Consultor obiectionem etiam movet quoad sectionem quintam secundae partis, quae videtur inadaequata. Ipsa forma dicendi forsitan corrigenda est ita ut textus sonet «De exemptione eiusque effectibus» vel aliud simile.

Rev.mus tertius Consultor condividit propositiones Exc.mi primi Consultoris, quoad ordinem materiae primae partis schematis; canones autem praeliminares possunt anteponi huic parti generali, quia in ipsis canonibus conamen factum est delineandi vitam Deo per consilia consecratam, attenta quoque eius significatione theologica et ecclesiologica. Quoad titulum quintum primae partis, adest quidem recens Instructio «Renovationis causa», quae quidem non paucas quaestiones ponit; cum tamen huiusmodi Instructio data sit ad experimentum tantum, debemus utique eam praecipuis habere, sed ipsam sumere non possumus sic et simpliciter in canonibus Codicis. Quoad secundam partem schematis, Rev.mus mavult ut adhibetur divisio bipartita (Instituta scilicet Religiosa et Instituta Saecularia), uti factum est in ordinatione S. Congregationis «De Religiosis et Institutis Saecularibus»: ita enim divisio magis congrueret cum dictis in n. 11 Decr. «Perfectae caritatis» («Instituta saecularia quamvis non sint Instituta religiosa...»). Concordat denique Rev.mus cum animadversionibus iam factis circa sectionem quintam secundae partis.

Rev.mi quartus et quintus Consultores dicunt sibi schema in genere placere, etsi adhuc quidem perpoliri potest iuxta animadversiones. Quoad ordinem primae partis — ait Rev.mus quartus — ipse videtur maxime iuridicus et conveniens, praesertim si praecipuis habeatur quod dictum est

a Rev.mo Secretario circa constitutiones singulorum Institutorum per quas uniuscuiusque peculiaris indeles servatur.

Rev.mus sextus Consultor ponendum quoque censem titulum praeliminarem, ubi:

1) notio clare tradatur — uti iam factum est — de vita Deo consecrata per consiliorum evangelicorum professionem ab Ecclesia recognitam;

2) notiones fundamentales pariter tradantur de natura diversarum specierum Institutorum perfectionis. Quoad ordinem primae partis schematis quaerit ut Titulus VII in aliis titulis reassumatur (ubi de formatione vel de obligationibus sodalium), quia adsunt Instituta ubi «actio» apostolica non datur; praeterea Tituli VIII et IX poni possunt per modum unius, quia ambo de separatione ab Instituto agunt, sive voluntaria sive non. Anceps manet Rev.mus quoad partem secundam quia ex. gr. estne bonum in sectione secunda sublineare per duos titulos distinctionem inter Instituta religiosa clericalia et Instituta religiosa laicalia?; in hac praeterea sectione cooperantur etiam Ordines mendicantes qui non sunt quidem Instituta operibus apostolatus plene dedita.

Animadvertisunt denique Rev.mi tertius et sextus Consultores quaedam Societas vitae communis et Instituta saecularia adesse quae nolunt venire sub legislatione Institutorum perfectionis: hoc tamen — uti dicit Rev.mus Secretarius — impedire non debet quin legislatio tum generalis tum specialis Institutorum perfectionis apparetur; pro his casibus particularibus Codex alio modo provideat.

Rev.mus septimus Consultor concordat cum Rev.mis tertio et sexto Consultoribus circa necessitatem praemittendi primae parti canones praeliminares in quibus recolantur principia theologicocanonica de Institutis perfectionis, desumpta praesertim ex Const. dogm. *Lumen gentium*, cap. VI. Quoad secundam partem schematis, necessarium non videtur ut integer titulus habeatur pro sola materia de clausura monialium. In ipsa secunda parte, sectione tertia, quaestio poni potest de divisione Institutorum saecularium in clericalia et laicalia, quia sunt inter se valde diversa.

Rev.mus octavus Consultor concordat cum Rev.mis tertio, sexto et septimo Consultoribus quoad canones praeliminares de natura Institutorum perfectionis. Quoad titulum primae partis, aptius dicatur «De his quae pluribus Institutis perfectionis sunt communia», et in hac parte ponatur quoque specialis titulus de constitutionibus, dum tituli VIII et IX in unum redigantur. Quoad secundam partem quaerit ut non fiat specialis titulus de monialibus; omittendam censem sectionem quintam de Institutis exemptis, cuius materia aptius tractari potest in parte prima schematis, ubi agitur de

dependentia Institutorum ab Ecclesiastica Auctoritate, uti proposuit Exc.mus primus Consultor; titulus denique sectionis secundae mutetur, propter difficultates ab aliis Consultoribus allatas.

Rev.mus nonus Consultor dicit se quoque schema approbare quoad substantiam. Difficultates particulares in studio singularum quaestionum solvi forsitan poterunt.

Animadvertisunt denique Rev.mi octavus et sextus Consultores quaedam adesse Societates vitae communis et Instituta saecularia quae nolunt venire sub legislatione Institutorum perfectionis, quia hoc non congruit cum eorum propria natura.

Omnes tamen Consultores conveniunt in eo quod — uti dixit Rev.mus Secretarius — hi casus particulares, qui de cetero sunt minoritarii, impedire nobis non possunt quominus legislatio fiat de Institutis perfectionis, tum generalis tum specialis. Postea ipsae paucae societas interpellentur si volunt consilia evangelica profiteri, etc.; si nolunt, alio modo pro his provideat Codex.

Ita expleta disceptatione generali de schemate proposito, Rev.mus Secretarius proponit, et accipitur, ut sequentes particulares quaestiones perpendantur:

- 1) De titulo praeliminari, nempe quid continere debeat?
- 2) De rubrica partis generalis.
- 3) De rubrica partis specialis.
- 4) De constitutionibus Institutorum.

II. QUAESTIONES PARTICULARES DE SCHEMATE PROPOSITO PERPENDUNTUR

Rev.mus Relator relationem introductoriam apparavit quoad has quatuor peculiares quaestiones (cfr. Adnexum II his actibus positum), praecipue oculis habitis quae dicta sunt perdurante examine generali schematis. Hac relatione introductoria lecta, incipit disceptatio quae ita evolvitur.

A) DE TITULO PRAELIMINARI

Exc.mus primus Consultor concordat cum Relatore in eo quod coadunari possunt canones in prima et secunda sessione coetus approbati, qui canones opportune recogniti anteponerentur parti generali schematis, sed absque titulo quodam speciali.

Rev.mus tertius Consultor huic propositioni accedit, quia si hi canones ponerentur cum titulo speciali caderet forsan praestantia quam habet pars generalis schematis. In recognitione tamen horum canonum primae et secundae sessionis, servanda omnino est structura theologicoo-iuridica quae his canonibus data fuit, ad mentem Concilii Vaticani II. In Concilio enim haec elementa constitutiva vitae Deo consecratae — professio consiliorum evangelicorum ab Auctoritate ordinata, vota vel alia sacra ligamina, aspectus charismaticus huius vitae et testimonii in Ecclesia, etc. — optime exposta sunt. Nos ergo haec elementa servare debemus in canonibus praeliminariis, non tantum ratione claritatis sed etiam ne disperdantur genuina natura et valor Institutorum perfectionis.

Cum his dictis concordant quoque alii Consultores.

Exc.mus secundus Consultor et Rev.mus octavus Consultor animadvertisunt necessitatem accurate revisendi terminologiam horum canonum praeliminarii: «Instituta religiosa», «religiosi», etc. Praeterea elementa specifica ponantur de diversis speciebus Institutorum perfectionis.

Rev.mus quartus Consultor insistit, ad mentem Exc.mi primi et Rev.mi tertii Consultorum, in necessitate quod canones praeliminares sint theologicoo-iuridici (etiam si quid simile fiat in Lege fundamentali Ecclesiae). In his quoque canonibus distinguantur, uti factum est in Decr. «Perfectae caritatis», diversae vocationes quae inter Instituta perfectionis habentur: monastica, apostolica, saecularis.

Etiam Rev.mi septimus, sextus et nonus Consultores dicunt canones praeliminares, praeter elementa communia theologicoo-iuridica quae Instituta perfectionis constituunt, continere breviter debere elementa distinctiva inter diversas species Institutorum, nempe Instituta religiosa, Societates vitae communis et Instituta saecularia.

Inter elementa iuridica communia sunt fundamentalia, iuxta statuta in Const. dogm. *Lumen gentium*, vota aut alia sacra ligamina, votis propria sua ratione assimilata, quibus sodales ad tria consilia evangelica se obligant.

Ut bene diversae species Institutorum configurentur, Exc.mus primus Consultor et Rev.mus Secretarius quaerunt a Rev.mo sexto Consultore, qui partem habuit in redactione Cap. VI Const. *Lumen gentium*, quare in n. 44 posita sint verba «vel alia sacra ligamina, votis propria sua ratione assimilata».

Hoc factum est — ait Rev.mus sextus Consultor — iuxta expostulata ab aliquibus Societatibus vitae communie et Institutis saecularibus. Intentionis fuit ut includerentur, praeter Instituta religiosa, eae aliae formae vitae consecratae. Prima redactio erat «per vota vel *alia canonica vincula*», sed consulto mutata est in formula a Concilio definitive sancita nempe — «per

vota vel alia *sacra ligamina*, etc. » —, quia potest haberi vinculum canonicum absque ulla intentione profitandi consilia evangelica. Hoc est magni momenti — concludit Rev.mus, cui accedunt Rev.mi tertius, quartus et alii Consultores — ad bene determinandos limites nostrae legislationis de Institutis perfectionis.

Exc.mus primus Consultor quaerit an Coetus noster sit competens ad ampliandos hos limites, ita ut intra hanc legislationem locum quoque inventiant aliae institutiones; quae supradicta elementa substantialia Institutorum perfectionis nolunt habere. Oportet enim ut etiam ipsae Societates vel Instituta aptam existentiam iuridicam in Ecclesia habeant.

Respondet Rev.mus Secretarius Praesidem Commissionis ipsi dixisse mentem qua laborare debemus non esse utique ligatam ad ea quae sunt in Codice, sed neque possumus superare limites a doctrina Concilii determinatos. Hoc praeterea non esset necessarium in casu, nam — uti iam dictum est — ius consociativum latius patet quam legislatio Institutorum perfectionis, quapropter memoratae associationes existentiam iuridicam habere quoque possunt in Ecclesia. Omnes erunt in Codice novo, sed non necesse est ut sub iure Institutorum perfectionis sint recensendae.

Hodie — adiungunt Rev.mus Secretarius et Rev.mus Relator, quibus accedunt alii — adhiberi non possunt expressiones «ad instar religiosorum» vel aliae aequipollentes, uti «ad instar Instituti perfectionis» vel «Instituti saecularis» etc. Quapropter Coetus noster claram notionem Institutorum perfectionis eorumque distinctionem in diversas categorias statuere debet, et quidem in canonibus praeliminariibus, uti videtur esse sententia Consultorum. Ita expeditius atque secura via procedere possumus in elaboratione totius legislationis de Institutis perfectionis. Postea inquisitio fieri potest inter eas alias consociationes, ita ut libere respondere valeant utrum velint esse necne Instituta perfectionis.

Facta suffragatione circa criteria supra exposita, omnibus Consultoribus placet ut ita procedatur.

B) DE RUBRICA PARTIS GENERALIS SCHEMATICIS

Rev.mus Relator animadvertisit normas quae in hac parte sunt ponendae omnibus Institutis perfectionis applicari, etsi non eodem modo. Omnia enim Instituta egent erectione, dividi possunt in partes, ab ecclesiastica Auctoritate pendent, sodales admittunt, etc. Quoad dicta ab Exc.mo primo Consultore de adaptatione titulorum huius partis ad ordinem qui in exarandis constitutionibus saepe adhibetur, respondet Rev.mus Relator aliud esse constitutiones conficere, aliud vero ius commune statuere.

Legislator quaestiones videt imprimis sub respectu iuridico, ideoque incipit ab his quae existentiam dant Institutis, prosequitur cum normis de regimine externo et interno, etc.

Haec fuit intentio adhibita — ait Rev.mus Secretarius — in redactione schematis, et hoc criterium magis videtur opportunum post disceptationem habitam circa canones praeliminaires, quia iam in his canonibus ponendae sunt notiones fundamentales de natura et fine Institutorum perfectionis.

His dictis alii accedunt Consultores et, facta suffragatione, omnibus placet ut ordo huius primae partis in genere servetur. Animadversiones autem particulares quae proponuntur sunt sequentes:

Loco « pars generalis », et deinde « pars specialis » forsitan sufficeret ut dicatur « pars prima » et « pars secunda » (Rev.mus tertius Consultor). Huic animadversioni accedunt Exc.mus primus Consultor et Rev.mus sextus Consultor, qui dicendum esse tantum censet: « De iis quae omnibus Institutis perfectionis sunt communia » (et, pro secunda parte, « De iis quae nonnullis Institutis perfectionis sunt communia »).

Rev.mus octavus Consultor dubitat de convenientia addendi verbum « omnibus » ad titulum primae partis. Alii tamen Consultores dicunt huiusmodi additionem explicite indicare omnia quae in hac parte includuntur esse revera normas omnia Instituta respicientes. Mens utique Coetus est ut in hac parte ne descendatur ad ea quae sunt specialia (Rev.mus Secretarius). Potest tamen dici « De iis quae Institutis perfectionis sunt propria » (Rev.mus quartus Consultor).

Exc.mus secundus Consultor proponit ut dicatur « De Institutis perfectionis in genere » (et deinde, pro secunda parte schematis, « De Institutis perfectionis in specie »).

Animadvertisit tamen Rev.mus Relator hanc terminologiam, etsi possibiliter et menti Coetus respondentem, forsitan secumferre quasdam difficultates, nisi antea clare determinentur relationes inter ius commune et constitutiones seu ius particulare Institutorum.

His omnibus praे oculis habitis, placet Consultoribus ut retineatur formula « De iis quae Institutis perfectionis sunt communia », pro rubrica huius primae partis legislationis a Coetu perficienda.

Quoad singulos titulos, sequentes animadversiones particulares propo-nuntur:

— Deleatur Tit. IV et remittatur ad partem novi Codicis ubi de iure patrimoniali Ecclesiae agendum est (Rev.mus Secretarius). Placet omnibus ut ita fiat, saltem provisorie.

— Tit. VII melius ponatur in secunda parte (Rev.mus sextus Consultor), quia si spiritus apostolicus est utique pro omnibus sodalibus Institutorum perfectionis non ita est quoad «actionem».

Proposito placet.

— Tit. VIII et IX uniantur, propter rationes iam prolatas in disceptatione generali de schemate (Exc.mus secundus et Rev.mus sextus Consultores). Alii tamen Consultores dubitant, quia tunc tractatio de hac re erit nimis longa (Rev.mus Relator), vel quia sunt res inter se diversae, cum egressus sit usus libertatis personalis dum in casu dimissionis adest delictum (Rev.mus quartus Consultor), vel denique quia Tit. IX est revera res poenalis et forsitan simplificari debet, ad mentem Synodi Episcoporum, sicut totum ius poenale in Ecclesia (Rev.mus Secretarius). Exc.mus secundus et Rev.mus sextus Consultores his rationibus accedunt, ideoque, facta suffragatione, omnibus placet ut Tit. VIII et IX separatim habeantur, et quidem in prima parte schematis.

— Denique Consultores censem materiam quae contineri debet sub tit. VI («De obligationibus Institutorum eorumque sodalium»), aptandam esse iis normis quae ponendae sunt in canonibus praeliminariis (de consiliis evangelicis profitendis, etc.), atque iis aliis quae pro omnibus clericis dantur in alio loco Codicis.

C) DE RUBRICA PARTIS SPECIALIS SCHEMATICIS

Post discussiones iam habitas rationesque prolatas in examine generali schematis atque in disceptatione circa canones praeliminaries, Consultoribus placet ut rubrica huius partis («De iis quae nonnullis Institutis perfectionis sunt propria») maneat sicuti est. Quoad quaestiones speciales de divisione diversarum sectionum suo tempore perpendentur, attentis quae deliberata iam sunt in hac Coetus sessione.

D) DE RELATIONE INTER IUS COMMUNE ET CONSTITUTIONES

Rev.mus Relator propriam sententiam exponit de praestantia constitutionum seu iuris particularis singulorum Institutorum, ita ut in tuto ponantur eorum vita et actuositas contra abusus sive ab intra sive ab extra. Ius commune normas generaliores statuere quidem debet, quibus apte servetur natura propria Institutorum perfectionis, sive in genere sive quoad diversas eorum categorias; ceterae autem normae, illae, nempe, quae vitam Institutorum intimius et verius dirigere debebunt in propriis constitutionibus cuiusque Instituti poni et inveniri debent.

Exc.mus secundus et Rev.mus tertius Consultores aestimant hoc criterium bene congruere cum principiis generalibus approbatis pro recognitio-ne totius Codicis Iuris canonici. Quapropter inutile forsan non erit huiusmodi principium in aliquo canone explicite sancire.

His dictis accedunt quoque alii Consultores, atque Rev.mus quintus Consultor sequentem proponit formulam:

«Praeter iuridicas normas unicuique Instituto perfectionis proprias in Constitutionibus rite approbatis contentas, ad ipsius Instituti finem, media atque indolem definienda, hos quae sequuntur canones Instituta perfectio-nis observare tenentur».

Haec autem formula suffragationi non ponitur, nam textus hic, vel alias similis, examinari debet una cum ceteris canonibus praeliminariibus. In hoc enim contextu, ait Rev.mus Secretarius, una cum maiori libertate, quae Institutis tribuitur, habentur etiam necessarii limites qui ponendi sunt, ne extra naturam theologicam et iuridicam Institutorum perfectionis ipsa Instituta incident.

Omnes Consultores se dicunt concordes cum hac sententia Rev.mi Se-cretarii.

Etiamsi directe non tangat materiam de qua nunc disceptatur — nam agitur de re generaliore, quae afficit quoque alias partes legislationis cano-nicae —, Consultores exoptant ut facile ne dentur a Sacris Congregationi-bus decreta vel instructiones, etc., quibus leges generales sive ius commune derogetur, vel quibus coarctetur legitima libertas in iure particulari.

His omnibus deliberatis et approbatis quae schema generale iuris reconoscendi «De Institutis perfectionis» respiciunt, sequens quaesitum suf-fragationi Consultorum submittitur:

«Utrum hoc schema iam satis discussum sit necne».

Responsum positivum datur ab omnibus, ideoque transitus fit ad exa-men canonum de regimine Institutorum (Tit. III primae partis schematis).

III. CANONES PERPENDUNTUR «DE INSTITUTORUM REGIMINE»

Disceptatio versatur circa formulas canonum a Rev.mo Relatore propo-sitas, una cum respectivis notis explicativis (cfr. Adnexum III his actis in-sertum). Sed, antequam singuli canones perpendantur, Rev.mus Secreta-rius quaerit an aliquis animadversiones generales habeat proponendas quoad hanc materiam.

1. Rev.mus quartus Consultor exoptat ut unitas habeatur in terminologia, ita ut ex. gr. dicatur « sodales » (loco « subditi »), « moderatores » (loco « superiores »), etc. — Quaestio haec momentum praesertim habet pro Institutis saecularibus.

Rev.mus nonus Consultor quaestionem ponit de notione « superioris » vel « moderatoris », quia aliqui hodie sub voce « superiorum » intelligunt non tantum personae physicae sed etiam collegia seu personae collegiales.

Rev.mus Relator dicit quaedam experimenta hoc sensu utique fieri, sed agitur tantum de experimentis, quae tamen non in Codice sed in constitutionibus determinanda sunt. His dictis accedit Rev.mus quartus Consultor.

Rev.mus Secretarius existimat in lege generali loquendum quidem est de superiore qua persona physica. Est terminologia per saecula consecrata, ex qua nullum dubium oriri potest. Praeterea — sequitur Rev.mus Secretarius — quaestio poni debet utrum modus vere collegialis regiminis accommodetur Institutis perfectionis necne. Collegium utique subiectum esse potest iurisdictionis: attamen dici non posse videtur iurisdictionem in Institutis perfectionis esse penes collegium, ita ut superior ut persona physica nullam habeat potestatem praeter ea quae sibi competit quatenus est collegii membrum. Hoc videtur congruere cum charismate Institutorum perfectionis, quod peculiari modo afficit intimitatem vitae personae per consilia evangelica Deo consecratae.

His dictis alii accedunt Consultores, quia in tali regimine collegiali locus amplius non daretur peculiaribus relationibus personalibus inter superiorum et sodales, ex. gr. quoad res conscientiae, etc., (ita Rev.mus quartus Consultor), vel quia revera hic modus « democraticus », iuxta quem superior veram potestatem non habet sed tantum exercet quamdam functionem fere representativam, nullo pacto respondet authenticae naturae vitae religiosae (Rev.mus sextus Consultor). Abusus ex parte superiorum, qui utique dari queunt, alia via vitari possunt (Rev.mus octavus Consultor), sed prae oculis semper habere debemus quod elementum praecipuum vitae religiosae in eo consistere ut persona se totam Deo consecret, quod sane elementum prorsus deficeret si professio consiliorum evangelicorum fieret « ad serviendum communitati », nam isto in casu deesset relatio primaria, id est hominis ad Deum (Rev.mus Relator).

His dictis ceteri accedunt Consultores. Quapropter, suffragatione facta, omnibus placet ut in canonibus redigendis:

- a) Superior seu moderator intelligatur semper persona physica;
- b) determinetur quomodo Capitulum generale repraesentet totum Institutum;

c) commendetur ut Capitula, in constitutionibus recognoscendis, maxima cura attendant ad charisma vitae Deo consecratae atque ad uniuscuiusque Instituti proprium charisma sanasque traditiones.

2. Rev.mus Relator aliam proponit quaestionem, quid nempe sentendum sit de prohibitione religiosis facta aperiendi propriam conscientiam superioribus suis. Haec, enim, norma ab aliquibus videtur nimis rigida, nam, si sodales id sponte volunt, relationes personales cum superiore foventae esse videntur. Re vera superior est spiritualis moderator communiatatis.

Rev.mus decimus Consultor dicit hanc prohibitionem a Benedictinis consideratam esse ut totalem eversionem sui spiritus et de facto multa monasteria privilegium hoc in re obtinuerunt post Codicis promulgationem.

Rev.mus sextus Consultor exoptat ut in futura legislatione simpliciter dicatur ad munus superioris seu moderatoris pertinere vitam spiritualem sodalium fovere. Adiungendum quoque est constitutiones apertioinem conscientiae moderatori libere factam prohibere non posse.

Existimat Rev.mus Secretarius hac in re prudenter procedendum esse. Apud Benedictinos enim Abbates sunt perpetui; ubi vero superiores temporarii sint, difficultates habentur, ex. gr. post aliquot annos multi superiores conscientiae apertioinem ipsius subditi audierunt. Haec difficultas magis urget apud religiosos, nam superiorissae eligi solent ad triennium.

Rev.mus decimus Consultor mavult ut de hac quaestione sileatur in novo Codice. Attamen Rev.mus quartus Consultor timet ne confusiones et anxietates e simplici hac suppressione oriантur.

Rev.mus quintus Consultor sequentem proponit formulam canonis:

§ 1. Cum vita religiosa (*vel: Deo professione consiliorum evangelicorum consecrata*) spiritualem secumferat habitudinem professi ad superiorum, sodales Institutorum perfectionis suum animum superiori aperire valent; si autem superior est sacerdos, hanc animi apertioinem perducere possunt ad ipsius conscientiae manifestationem, exceptionaliter tantum in sacramento poenitentiae peractam.

§ 2. Ab hac animi aperitione differt ratio reddenda competenti superiori de externis negotiis ipsius superioris inspectioni subiectis.

Rev.mus Septimus Consultor difficultates quasdam exponit quae in communitatibus mulierum locum habere possunt. Quandoque ex. gr. confessionem instituere nolunt apud confessarios nominatos pro ipsa communitate, ex quo sequitur ut confessionem per longum tempus non instuant.

Rev.mus Relator adiungit quandoque etiam abusus committi a confesario communitatis, qui imprudenter a superiorissa quaerit cur aliqua soror confessionem non instituat.

Denique Rev.mus Secretarius existimat hac in re idem ius condendum esse sive pro viribus sive pro mulieribus.

Transitus deinde fit ad examen singulorum canonum, qui a Rev.mo Relatore proponuntur. Quidam Consultores proponunt, et ab omnibus accipitur, ut omnia quae proferantur in disceptatione colligantur, ut postea aliqua subcommissio canones, quorum formulae nunc non definitive approbentur, redigat et in proxima Coetus sessione proponat.

Canon primus

Textus ita sonat:

«Superiores et Capitula omnium Institutorum perfectionis, ad normam iuris communis et propriarum Constitutionum, potestatem dominativam in subditos obtinent; in Institutis autem clericalibus gaudent quoque iurisdictione ecclesiastica tam pro foro interno quam pro foro externo».

Conceptus potestatis dominativae publicae — ait Rev.mus P. Bidagor, qui introductus est ad vitandas quasdam difficultates pro Congregationibus clericalibus, multas p[ro]ae se fert difficultates. Optata ergo extensio potestatis iurisdictionis omnibus Institutis perfectionis clericalibus has difficultates apte solvere videtur.

Rev.mus Relator suggerit ut, in lin. 3, expungatur verbum «dominativa» ita ut, relate ad Instituta clericalia canon loquatur de potestate iurisdictionis, relate vero ad alia Instituta verbum adhibeat «potestas», sine ulla specificatione, quamvis subintelligatur esse potestatem dominativam.

Exc.mus primus Consultor dicit se concordare quoad suppressionem verbi «dominativa», quia, sicut et vox «domestica» non bene sonat pro vita religiosa.

Obiicit tamen Rev.mus tertius Consultor expressionem «potestatem in subditos obtinent» esse nimis vagam.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut dicatur «sua in sodales gaudent propria potestate». Ita enim dicitur potestatem esse suam ac propriam sed ulterior determinatio non additur.

Rev.mus sextus Consultor dicit se non videre rationem ob quam terminologia mutari debeat, quia sumus in iure. Si vero expediat ut verbum «dominativa» supprimatur, accedit ad formulam propositam a Rev.mo

quarto Consultore. Suggesterit denique Rev.mus ut loco verbi «constitutions» adhibeatur locutio «ius particulare», et in linea 2 mutetur ordo, ita ut prius de iure particulari agatur.

Formula ergo canonis quae proponitur emendata est sequens:

«Institutorum Moderatores et Capitula ad normam iuris particularis et communis sua in sodales gaudent propria potestate; in Institutis autem clericalibus gaudent insuper iurisdictione ecclesiastica tam pro foro interno quam pro foro externo».

Exc.mus primus Consultor animadvertisit formulam propositam iurisdictionem extendere ad omnia Instituta clericalia, dum in Motu Pr. «Cum admotae» id concedebatur solis Institutis iuris pontificii. Accedit tamen ad propositam extensionem.

Facta suffragatione textus omnibus placet.

Canon secundus

Formula a Relatore proposita ita sonat:

«Meminerint Superiores potestatem eis datam esse non ut in subditos dominantur sed ut his in Domino serviant ac ministrent, iuxta Christi exemplum et monitum: «Qui maior est vestrum fiat minister vester» (Mt. 20,26). Itaque, subditos ut filios ac fratres (in Christo) diligent elaborantque ut hortando et monendo ab illicitis deterreant ac ad perfectiora verbo et exemplo inducant, debita observantia, benignitate et caritate pertractent, sicut decet filios Dei, ut sine asperitate disciplina, salutaris ac necessaria, conservetur».

Canon — ait Rev.mus Relator — est hortatorius et potius obligationes morales includit. Attamen opportunum videtur.

Rev.mus sextus Consultor animadvertisit opportunum etiam esse ut hoc in canone expresse dicatur Superiores habere necessariam potestatem, ut subditos ad sanctitatem ducant.

Haec idea — respondet Rev.mus Relator — iam habetur in §§ 2 et 3 canonis 13, sed poni potest in canone 2.

Rev.mus quartus Consultor dicit ea quae in canone 13 dicuntur potius applicari ad superiores locales, qua de causa ipse Rev.mus mavult ut hoc in canone 2 quaedam solummodo addantur de superiorum qualitatibus.

His dictis alii accedunt Consultores.

Exc.mus secundus Consultor distinguendum esse censet inter obiectum potestatis et modum exercendi huiusmodi potestatem.

Denique Rev.mus quintus Consultor exoptat ut canon non incipiat per

verbum «meminerint», quod in mentem revocat canonem 2224 ubi de poenis agitur.

Propositio omnibus placet.

Existimat Rev.mus Secretarius elementa sufficientia iam adesse ad canonem revisendum, quapropter transitus fit ad examen canonis sequentis.

Canon tertius

Textus a Rev.mo Relatore propositus hic est:

«Superioribus quibuslibet districte prohibetur quominus in causis S. Congregationi pro Doctrina Fidei reservatis sese intromittant».

Omnes Consultores sunt concordes in eo quod hic canon omittatur, etiam quia haec norma potius pertinet ad determinationem competentiae S. Congregationis pro doctrina Fidei.

Canon quartus

Haec est formula proposita:

«Supremus Instituti moderator potestatem obtinet in omnes Instituti partes, quocumque nomine veniant, domos et sodales iuxta Constitutiones quae eiusdem potestatis exercitium definiant; alii Superiores potestate gaudent intra fines sui muneric et iuxta determinationem earumdem Constitutionum».

Rev.mus quartus Consultor postulat ut deleatur vox «domos», utpote quae haberi non soleant in Institutis saecularibus.

Respondet tamen Rev.mus Relator nullam difficultatem sequi e redactione actuali canonis, quia, ubi domus non adsunt, neque Superior in eas potestatem obtinet.

Rev.mi Secretarius et quartus Consultor memorant distinctionem inter Instituta centralizata et non centralizata, ideoque existimant hunc canonom non congruere cum iure monachorum.

Ad hanc difficultatem vitandam, Rev.mus Relator sequentem proponit formulam: «Potestas Supremi Moderatoris aliorumque Superiorum in Instituto exerceatur ad normam Constitutionum».

Obicit Rev.mus quintus Consultor hoc modo iterum exprimi ideam contentam in canone 1, sed respondet Rev.mus P. Relator quod in hoc canone 4 sermo est de *exercitio* potestatis.

Rev.mus Secretarius censet structuram potestatis accommodari utique debere ad ius commune, eius vero exercitium potius fieri ad normam iuris

particularis. Proponit ergo ut in canone dicatur «ad normam iuris particularis et communis».

Rev.mus nonus Consultor servandum esse censet in exercitio potestatis principium subsidiarietatis, quapropter sequentem proponit formulam: «Superiores, secundum eorum competentiam...», vel aliam similem.

Rev.mus Relator hunc textum suggerit: «Moderatores omnes suam potestatem exerceant ad normas iuris communis et cuiusque Instituti proprii».

Exsistimat autem Exc.mus primus Consultor alio modo forsitan procedendum esse: si enim Lex fundamentalis Ecclesiae principia generalia de potestate statuit, his in canonibus sufficit ut de eius exercitio agatur.

Respondet Rev.mus Secretarius — et Exc.mus primus Consultor huic responsioni accedit — Legem fundamentalem principia generalia tantum continere, quae in legislatione Codicis determinari debent. Quoad principium subsidiarietatis eiusque applicationem — sequitur Rev.mus — melius esset si expectetur donec Lex fundamentalis confecta sit, ne canones de Institutis perfectionis appareant veluti praedeterminationes eorum quae in praedicta Lege determinanda erunt.

Exc.mus secundus Consultor proponit ut dicatur in nostro canone: «potestas diversos gradus habet», sed respondet Rev.mus Relator ius particolare monachorum diversos hos gradus non habere.

Concludit igitur Rev.mus Secretarius quaestiones particulares hoc in canone pertractari non posse, quapropter in ipso statuendum tantum erit principium generale, quamvis evidens per se videatur.

Canon quintus

Textus a Relatore propositus ita sonat:

«Ad munus Supremi moderatoris instituti et Superiorum non localium inhabiles sunt qui a decem annis in institutum non sunt cooptati; pro ceteris requisitis in iisdem et in aliis Superioribus servetur ius particolare cuiusque instituti».

Rev.mus Secretarius, cui accedit Rev.mus sextus Consultor censet tempus cooptationis in Instituto supputandum forsitan esse a professione perpetua, attento art. XV Instructionis «Renovationis causa».

Obiicit tamen Exc.mus primus Consultor aliis in locis eiusdem Instructionis nomine professionis primam professionem venire.

Rev.mus quintus Consultor animadvertis nonnullis in Institutis perpetua ligamina non haberi.

Exc.mus primus Consultor suggestit ut dicatur «definitive sunt cooptati», dum Rev.mus quartus Consultor aliam formulam magis generali proponit, nempe: «Ut sodales ad munus moderatorum exercendum nominentur aut eligantur, requiritur ut post cooptationem perpetuam vel definitivam congruum in iure particulari tempus stabilitum in Instituto peractum».

Rev.mus sextus Consultor mavult ut loco «stabilitum» dicatur «statuendum», ne Constitutiones de hac re sileant.

Propositio accipitur.

Exsistimat Exc.mus primus Consultor difficultatem adesse quoad Superiora locales, ideoque dubitat num expeditat de hac re quoad ipsos sileri.

Respondet Rev.mus Secretarius hanc difficultatem praesertim spectare ad Instituta nuper condita, pro quibus tamen viget ius extraordinarium.

Exc.mus primus Consultor proponit denique ut in canone introducantur verba «nisi aliter ferant Constitutiones», ita ut, si ius particulare ita ferat, Superior ab hoc requisito dispensare valeat.

His omnibus attentis, quae in disceptatione prolata sunt, Rev.mus Relator duplarem formulam Consultoribus proponit:

A) «Ut sodalis ad quodcumque moderatoris munus nominetur aut elegatur requiritur:

1° cooptatio (perpetua vel) definitiva in institutum;

2° congruum tempus, a iure particulari statuendum, post (perpetuam vel) definitivam cooptationem in instituto peractum, nisi aliter ferat idem ius particulare».

vel

B) «Ut sodalis ad quodcumque moderatoris munus nominetur aut elegatur, requiritur ut:

1° in institutum definitive iam cooptatus fuerit;

2° post definitivam cooptationem congruum tempus, si ita ferat ius particulare, in instituto peregerit».

Ipse Rev.mus Relator sequentem adnotationem adiungit: «Posui inter uncos (perpetua vel; perpetuam vel), quia, ut mihi videtur, cooptatio definitiva includit cooptationem perpetuam, licet non e contra. Si enim in aliquo instituto non habeantur vota vel sacra ligamina perpetua sed tantum temporaria, expleto tempore renovanda, non haberetur cooptatio perpetua sed utique definitiva, iuxta determinationem iuris particularis».

Animadvertisit demum Rev.mus Relator se censere hoc requisitum ad validitatem statuendum esse, sed quaerit ut de hac re fiat suffragatio.

Fit quidem suffragatio proposita, cuius exitus est:

Placet ut hoc requisitum sit ad validitatem: 7 (Exc.mi primus et secundus atque Rev.mi quintus, sextus, quartus et nonus Consultores).

Non placet: 2 (Rev.mi septimus et octavus Consultores).

Omnibus Consuloribus placet ut numeri 1° et 2° formulae B in unum confluantur, ergo textus canonis, qui ab omnibus positive suffragatur, est sequens:

« Ut sodalis ad munus moderatoris valide nominetur aut eligatur, requiritur ut in Institutum definitive iam cooptatus fuerit, ac, si ita ferat ius particulare, post definitivam cooptationem congruum tempus in Instituto peregerit ».

Quaedam denique quaestiones peculiares proponuntur cum materia huius canonis connexae, nempe:

1) Utrum de legitimitate natalium aliquid dicendum sit necne. Cum autem hodie neque leges civiles ullum pondus tribuere soleant illegitimitati neque alia ex parte filii puniendi sint propter peccatum parentum, hic Coetus Consultorum unanimiter desiderat ut in novo Codice de hac quaestione omnino sileatur.

2) Quoad aetatem pro Superioribus forte requirendam, Consultores existimant nihil in canone dicendum esse, cum iam statuatur tempus quod decurrere debet a definitiva cooptatione.

3) Quoad distinctionem forte faciendam inter sacerdotes et non sacerdotes in Institutis clericalibus, Rev.mi quartus et sextus Consultores, censem hanc difficultem quaestionem alio loco aptius pertractari posse, quod ceteris Consuloribus placet.

4) Alia demum proponitur quaestio: utrum admitti debeat necne in canone clausula « firmis propriis cuiusvis religionis Constitutionibus ».

Placet omnibus ut haec clausula non addatur.

Canon sextus

Textus a Rev.mo Relatore propositus ita sonat:

« Supremus Instituti moderator ad definitum tempus eligatur, nisi alter ferant Constitutiones; ceteri autem Superiori sint temporarii, iuxta determinationem iuris particularis Institutorum et si locales sint ad tempus

ultra triennium ne constituantur. Exacto tempore pro quo Superiores temporarii constituti sunt, ad idem munus iterum assumi possunt, si id ferant Constitutiones, sed non immediate tertio in eodem munere, sive in eodem loco sive alibi».

Rev.mus quartus Consultor animadvertisit nunc facultatem vigere qua Superiores confirmari in munere possunt ad tertium quoque triennium.

Respondet Exc.mus primus Consultor hanc facultatem concessam esse a S. Congregatione de Religiosis usque ad promulgationem novi Codicis. Immo, quoad Superiores Generales, Concilium exoptavit ne ad vitam constituantur, quod potest esse criterium generale pro Codice.

Rev.mus Relator memorat tamen quaestionem de Abbatibus de qua in notis explicativis ad hunc canonem (cfr. Adnexum III).

Exc.mus secundus Consultor exoptat ut in canone simpliciter dicatur Superiores vel Moderatores ex regula esse debere temporarios; quaestio de monachis suo loco perpendatur.

Suffragationi ergo submittitur prima pars canonis, nempe ‘Supremus Instituti moderator ad tempus eligatur, nisi aliter ferat ius particularare’.

Formula haec Consultoribus placet. Attamen Rev.mus sextus Consultor proponit ut textus strictius redigatur, cum additione clausulae «nisi speciali ratione perpetuitas ...» vel aliquid simile, attentis scilicet indole et fine Instituti.

Quoad secundam partem canonis, Rev.mus sextus Consultor manuult ut simpliciter dicatur: «ceteri sint ad tempus in iure particulari determinatum».

Relate ad verba sequentia («et si locales sint ad tempus ultra triennium ne constituantur»), Exc.mus primus Consultor memorat casum Abbatisse, quae ad sex annos constituitur, et est simul Superiorissa Maior et localis.

Rev.mus septimus Consultor exoptat ut tota haec quaestio ad Constitutiones remittatur, sed alii Consultores non concordant, quia hoc faveret abusibus.

Exc.mus secundus Consultor dicit hanc restrictionem temporis necessariam non esse pro Institutis saecularibus, quia in ipsis vita communis non habetur.

Rev.mus quartus Consultor suggerit ut dicatur: «qui communitariam faciunt vitam ne ultra sexennium constituantur». Ita norma valere etiam potest pro Institutis saecularibus, quae habent domos pro infirmis, etc.

Denique Rev.mus sextus Consultor tres ideas proponit pro definitiva redactione canonis: *a)* statuatur tempus ad quod nominatio fieri potest;

b) concedatur etiam possilitas renovationis; *c)* determinetur tempus ultra quod in munere superiores permanere nequeunt.

Tres eae ideae Consultoribus placent.

His attentis canon emendatus a subcommissione redigatur.

Canon septimus

Formula quae proponitur a Relatore est sequens:

«§ 1. Superiores non locales per electionem constituantur; locales autem iuxta determinationem Constitutionum cuiusque instituti.

§ 2. His in electionibus iusta ac rationabilis participatio omnium sodalium Instituti vel respectivae partis eius habeatur, saltem per electos reprezentantes iuxta Constitutionum praescripta.

§ 3. Antequam ad Superiorum electionem deveniatur (in Institutis virorum) omnes et singuli e Capitulo iureirando promittant se electuros quos secundum Deum eligendos esse existimaverint.

§ 4. In mulierum Institutis iuris dioecesani electioni Antistitiae seu Moderatoricis generalis praesideat per se vel per alium Ordinarius loci in quo electio peragitur; (cui peractam electionem confirmare vel rescindere integrum est pro conscientiae officio)».

Quoad § 1, Exc.mus secundus Consultor dicendum esse censem: «per electionem constituantur, nisi a iure particulari...».

Concordat cum hac emendatione Rev.mus sextus Consultor qui desiderat praeterea ut designatio aliorum superiorum maiorum a Capitulo facta confirmatione semper indigeat Supremi Moderatoris. Ipse Rev.mus dicit casus teterimos quandoque sanari non posse, quia ius electionis in aliqua provincia exclusive pertinet ad Capitulum provinciale, qua de causa, Supremus Moderator Instituti nullam habet possibilitatem interveniendi.

Rev.mi octavus et quintus Consultores concordant etiam in eo quod ius particulare determinare debet utrum electio habenda sit necne; sunt enim Instituta — dicunt — in quibus electiones haberi non solent, et haec traditio oportet ut servetur.

His dictis, alii accedunt Consultores. Attamen Rev.mus nonus mavult cooptatio Superiorum fiat semper per electionem; de modo electionis provideatur in Constitutionibus.

Rev.mus quartus Consultor exoptat ut duplex habeatur via: *a)* si Superiores elegantur, confirmatione indigeant Supremi Moderatoris; *b)* si non elegantur, aliqua praevia consultatio vel informatio habeatur.

His omnibus attentis, Rev.mus Relator sequentem textum proponit:

«Moderatores maiores et minores constituantur ad normam iuris particularis. Si per electionem eligantur, indigent confirmatione supremi Moderatoris; si autem nominentur, nonnisi post praeviā consultationem vel aptam informationem designentur».

Rev.mus sextus Consultor existimat nimis durum esse ut consultatio imponatur etiam quoad designationem superiorum minorum.

Aliae quoque fiunt animadversiones, sed provisorie retinetur textus, et transitus fit ad examen § 2.

Rev.mus Relator hac in § 2 considerandas esse censem et electiones et nominationes, quapropter proponit ut dicatur: «His in electionibus vel nominationibus, ampla repraesentatio ...».

Rev.mus sextus Consultor, cui alii accedunt Consultores, exoptat ut idea amplae repraesentationis exponatur ubi de Capitulis, quia non spectat tantum ad designationem Superiorum, sed etiam ad alia negotia quae in Capitulo pertractantur.

Relate ad § 3 suffragatio fit utrum haec norma servanda sit necne. Omnes Consultores desiderant ut hoc iuriandum in iure communi non amplius imponatur.

Quoad § 4, Rev.mus Secretarius animadvertisit duas esse quaestiones quae ponuntur: *a) de Ordinarii loci praesentia in electionibus; b) de confirmatione, vel rescissione electionis ex parte eiusdem Ordinarii.*

Rev.mus sextus Consultor postulat ut hoc praescriptum ponatur in canonе 3 de Institutis dioecesanis, si huiusmodi norma adhuc servanda videatur.

Rev.mus quartus Consultor censem haec praesentia Ordinarii loci iam amplius non iustificari. Si forte quibusdam in casibus necessaria videatur, id in Constitutionibus poni poterit. Difficultates praesertim oriuntur — sequitur Rev.mus — quoties Episcopus non agit per seipsum; attamen figura Vicarii episcopaloris pro religiosis difficile est ut non habeatur magnis in dioecesibus.

Etiam Rev.mus Secretarius exoptat ut non requiratur adsistentia Ordinarii in electionibus, quia mulieres quae paritatem querunt hoc praescriptum adducunt ut exemplum discriminationis.

Suffragatione facta, omnes Consultores volunt ut hoc requisitum in novo Codice supprimatur. Item censem relate ad confirmationem vel rescissionem electionis ex parte Ordinarii.

Prae oculis habitis sententiis in disceptatione prolatis, Rev.mus Relator hanc novam canonis redactionem proponit:

«§ 1. Supremus instituti Moderator a Capitulo Generali eligatur, nisi, vacante officio ob mortem, amotionem vel promotionem, ius particulare aliter provideat (vel: ... ius particulare statuat ut provisio fiat per congregationem electivam).

§ 2. Alii Moderatores maiores ad normam iuris particularis designentur; quod si statutum fuerit ut elegantur, confirmatione Supremi Moderatoris semper indigent; si autem (a Consilio generali) instituantur, praecedat necesse est apta et ampla sodalium (quorum interest) consultatio vel informatio (eidem Consilio facta).

§ 3. Moderatores minores ad normam eiusdem iuris particularis constituantur».

Huic formulae emendatae Rev.mus Relator sequentes notas explicativas apponit:

1) Pro Supremo Moderatoro praevidi casum vacationis officii, non exacto tempore pro quo electus fuerat. Cum autem iura particularia varios modos adhibeant provisionis in hoc casu, nolui libertatem institutorum coarctare.

2) Loco verbi: «nominentur» substitui: «instituantur». Nam verbum «institutio» in iure directam oppositionem continet ad verbum «electio».

3) Inserui verba: «a Consilio generali» tam quia haec methodus, ni fallor, universaliter adhibetur, quam ad insinuandum ut Supremus Moderator hoc non faciat absque voto deliberativo Consilii sui et ut talis norma in iure particulari includatur.

4) Addidi: «sodalium quorum interest» ut aequivocatio in hac re non fiat, nempe: consuli debent sodales quorum interest et non quidam alii.

5) Vox «informatio» non nimis placet. Forsan melius esset ponere «inquisitio» vel aliud verbum magis aptum.

6) Dixi tandem: «eidem consilio facta» ad vitandam falsam interpretationem. Informatio nempe acquiri debet a Consilio et non ab eodem aliis praeberi.

Fit disceptatio, et quoad § 1 huius novae formulae sequentia dicuntur: Rev.mus Relator mavult ut verba inter uncos posita deleantur.

Rev.mus sextus Consultor sufficere censem si in hac § solummodo dicatur: «Supremus Instituti Moderator designetur per canonicam electionem ad normam iuris particularis» (ut clare ostendatur hic agi de vera electione a Capitulo seu Collegio facta); vel etiam «Supremus Instituti Moderator electione canonica designetur ad normam iuris particularis».

Haec secunda formula omnibus placet.

Quoad § 2, Rev.mus Relator proponit, et accipitur, ut in linea 1 dicatur «ad normam eiusdem iuris particularis...».

Rev.mus tertius Consultor animadvertisit in quibusdam Institutis non requiri confirmationem ut electio rata habeatur: ex. gr. in Ordine Carmelitanorum. Adiungit praeterea omnes familias religiosas quae a Sancto Benedicto proveniunt traditionem habere iuxta quam provincialis nulla indiget confirmatione Supremi Moderatoris, quae norma connectitur etiam cum traditione Orientalium.

Respondet Rev.mus sextus Consultor id priore tempore ita fuisse in Ordine Carmelitanorum, quia Supremus Moderator non habebatur. Adiungit praeterea Rev.mus hanc normam respicere tantum Instituta centralizata, haud vero Instituta monastica non centralizata, quae legitime servare poterunt suas traditiones.

Ipse Rev.mus Consultor postulat quoque, et propositio recipitur, ut expungantur verba «vel informatio», quia informatio iam intelligitur per verbum «consultatio».

Formula § 2 quae suffragationi submittitur atque approbatur ita sonat:

«Alii Moderatores maiores ad normam eiusdem iuris particularis designentur; ita tamen ut si elegantur, confirmatione Supremi Moderatoris semper indigent; si vero nominentur apta et ampla consultatio praecedat».

Nulla fit animadversio ad § 3.

Textus ergo canonis ita manet approbatus:

«§ 1. Supremus instituti Moderator electione canonica designetur ad normam iuris particularis.

§ 2. Alii Moderatores maiores ad normam eiusdem iuris particularis designentur; ita tamen ut si elegantur, confirmatione Supremi Moderatoris semper indigent; si vero nominentur apta et ampla consultatio praecedat.

§ 3. Moderatores minores ad normam eiusdem iuris particularis constituantur».

Canon octavus

Formula a Relatore proposita est sequens:

«§ 1. In electionibus quae a Capitulis fiunt, servetur ius commune, praeter cuiusque Instituti constitutiones eidem non contrarias.

§ 2. Caveant omnes a directa vel indirecta suffragiorum procuratione tam pro seipsis quam pro aliis».

Quoad § 1, Rev.mi sextus et quartus Consultores dicunt normas de hac re in fere omnibus Constitutionibus haberi, ergo servandum esse censem ius particulare.

Rev.mus tertius Consultor suggestit ut in recto agatur de iure particulari et in obliquo de iure communi; formula esse potest «servato iure communi ubi constitutiones nihil de hac re statuant».

Rev.mus Relator existimat auctoritatem bene indicare posse utrum exceptio aliqua a iure communi sit necne rationabilis pro Instituto de quo agatur.

Exc.mus Secundus Consultor proponit ut dicatur: «nisi aliud statutum fuerit in iure particulari, servetur ius commune», dum Rev.mus quintus Consultor suggestit formulam «servetur ius particulare, illo vero silente, ius commune».

Fit adhuc parva discussio de hac quaestione, et demum Rev.mus sextus Consultor proponit ut haec § 1 supprimatur, quia pro his normis de electionibus sufficere videtur ius particulare Institutorum.

Haec propositio Rev.mi sexti Consultoris suffragationi submittitur et omnibus placet, exceptis Rev.mis octavo et quinto Consultoribus.

Quoad § 2 canonis, Rev.mus sextus Consultor mavult ut habeat characterem hortatorium, ita ut textus sonet ex. gr.: «Curent omnes ut ad bonum commune dent suffragium».

Huic propositioni alii accedunt Consultores, et quaestio fit de loco ubi haec § 3 ponenda erit. Quidam eam transferendam esse censem ad legislationem de Capitulis; sed maiori parti Consultorum placet ut haec § — quae erit canon 8 — suo loco maneat.

Committitur ergo subcommissioni ut, his prae oculis habitis, formulam definitivam canonis appareret.

Canon nonus

Textus qui proponitur est sequens:

«In sua quisque domo Superiores, maxime locales, commorentur nec ab eadem discedant, nisi ad normam constitutionum».

Ipse Rev.mus Relator, attentis quae aliis locis dicta sunt, ita mutandam censem formulam propositam:

«In Institutis quae vitam habent communitariam Superiores in sua quisque domo commorentur nec ab eadem discedant, nisi ad normam iuris particularis».

Rev.mus octavus Consultor censem hunc canonem expungendum esse, quia si agatur de parvis domibus Superiores alibi degere possunt.

Rev.mus septimus Consultor quaerit an sub hac formula etiam Abbates intelligentur.

Rev.mus sextus Consultor loquendum esse censem potius de praesentia Superiorum inter subditos quam de ipsa commoratione.

Suggerit denique Rev.mus Secretarius ut canon quoad superiores prescribat ut ipsorum praesentia tali modo habeatur, ut suos subditos necessariam adstantiam spiritualem praebere valeant.

Cum propositis a Rev.mis Secretario et sexto Consultore ceteri Consultores concordant, et approbatur ut in hoc sensu redigatur canon.

Canon decimus

Formula quam Relator proponit ita sonat:

«Quilibet Supremus moderator Instituti perfectionis iuris pontificii tenetur, quinto quoque anno, relationem de statu Instituti ad Sanctam Sedem mittere per documentum a se et suo Consilio subsignatum».

Rev.mus sextus Consultor censem melius esse ut obligatio imponatur transmittendi ad Sanctam Sedem decreta Capitulorum, ita ut de iure particulari singulorum Institutorum informatio habeatur.

Haec propositio non placet Rev.mo quarto Consultori quia documenta Capitulorum sunt valde extensa quapropter S. Congregatio tempus non habebit ad ea legenda. Melius est — sequitur Rev.mus — ut informatio S. Congregationi mittenda sit brevis. Quoad statum Instituti, Supremus Moderator referre poterit apud S. Congregationem sicut Episcopi faciunt.

Rev.mus Secretarius animadvertisit S. Congregationem de Episcopis arcitores in dies relationes habere cum Conferentiis Episcopalibus quae sua decreta ad Sanctam Sedem transmittunt.

Idem fieri potest — aiunt Exc.mus secundus et Rev.mus quartus Consultores — a Conferentiis Superiorum maiorum. Obiicit tamen Rev.mus Secretarius quod tales Conferentiae non ubique sunt constitutae.

Rev.mus sextus Consultor adiungit res ad intimitatem cuiusque Instituti pertinentes non proferri in tales Uniones seu Conferentias Superiorum, quia facile divulgari possunt, eo quod praesertim hodie discretio non facile servatur. Proponit ergo Rev.mus, cui alii accedunt Consultores, ut informationes ab unoquoque Instituto Sanctae Sedi directe communicentur.

Ipse Rev.mus sextus Consultor animadvertisit nostris temporibus verum «cultum» erga statisticas exhiberi, enarratque se certa occasione recepisse quoddam quaestionarium admodum amplum, ubi inter alia multa quaerebatur etiam quomodo in religione votum castitatis servabatur.

Rev.mi Secretarius et Relator ex omnibus dictis concludunt duo pericula re vera hodie vitanda esse: periculum nempe nimiae centralizationis atque periculum totalis autonomiae Institutorum. Canon ergo condendus sobrius esse debet sed clarus.

Rev.mus quartus Consultor memorat verba Const. dogm. «Lumen gentium», n. 45, ad quorum mentem hic canon redigendus esse sibi videtur.

Rev.mus sextus Consultor hanc formulam proponit:

«Quo melius Institutorum communio cum Sede Apostolica foveatur, statis ab eadem temporibus, Supremus Moderator Instituti perfectionis iuris pontificii brevem conspectum status ac vitae Instituti Sanctae Sedi mittat».

Quaedam parvae mutationes ad hanc formulam proponuntur, ideoque textus qui, suffragatione facta, ab omnibus recipitur est sequens:

«Quo melius Institutorum perfectionis iuris pontificii communio cum Sede Apostolica foveatur, statutis ab eadem temporibus, Supremus Moderator brevem conspectum status et vitae Instituti eidem Apostolicae Sedi mittat».

Canon decimus primus

Haec est formula a Relatore proposita:

«Superiores Institutorum quos ad hoc munus constitutiones designant, obligatione adstringuntur domos et sodales sibi subiectos visitandi, per se vel per alios, si legitime fuerint impediti, temporibus in constitutionibus definitis».

Ipse Rev.mus Relator duas emendationes suggerit, quae recipiuntur, scilicet: *a)* ponatur «Moderatores» loco «Superiores»; *b)* in fine textus dicitur «... in eodem iure particulari definitis».

Exc.mus secundus Consultor proponit formulam «Moderatores, quos ad hoc munus ius particulare designat ...». Quoad verbum «domos» censem difficutatem non haberi relate ad Instituta saecularia, quia et ipsa aliquas domos habent. Postulat denique ipse Exc.mus ut hic canon ponatur ante canonem 10, ratione materiae.

His dictis ab Exc.mo secundo Consultore alii accedunt Consultores. Quoad verbum «domos» adiungit Rev.mus Secretarius visitationem dormorum, quae praecedere solet visitationi singulorum sodalium, magni momenti esse.

Rev.mus quartus Consultor desiderat ut in eodem hoc canone ponatur, tamquam § 2, qui nunc in schemate est canon 12.

Propositio suffragatione recipitur.

Ideo Rev.mus Relator legit huiusmodi canonern 12, qui ita sonat:

« Visitatori legitime interroganti sodales obligatione tenentur respondendi secundum veritatem, nec Superioribus aut aliis fas est quoquo modo eos ab hac obligatione avertere aut visitationis scopum aliter impedire ».

Rev.mus quartus Consultor censem hanc emendationem faciendam esse: « ... veritatem, neque *nemini* fas est... »

Non concordat tamen Rev.mus octavus Consultor, qui mavult ut specificetur.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut dicatur: « nec ulli omnino » vel « *nemini* omnino fas est », quia distinctio in hac re odiosa videtur.

Denique Rev.mus Relator hanc redactionem suggerit, quae omnibus placet: « ... veritatem; nemini vero fas est quoquo modo sodales ab hac obligatione avertere aut... ».

Exc.mus secundus Consultor desiderat ut figura visitatoris non sit figura « inquisitoris », sed ipse appareat ut informator, etc. Cum his dictis alii Consultores concordant et Rev.mus quartus Consultor sequentem proponit textum, qui recipitur: « Cum visitatore fiducialiter agant sodales eique legitime interroganti obligatione tenentur respondendi secundum veritatem in caritate; nemini vero... ».

Textus ergo huius canonis 11, ita definitive proponitur et manet approbatus:

§ 1. Moderatores institutorum a iure particulari ad hoc designati obligatione adstringuntur domos et sodales sibi commissos visitandi iuxta normas eiusdem iuris particularis.

§ 2. Cum visitatore fiducialiter agant sodales eique legitime interroganti obligatione tenentur respondendi secundum veritatem in caritate; nemini vero fas est quoquo modo sodales ab hac obligatione avertere aut visitationis scopum aliter impedire ».

Canon decimus tertius

Formula quae proponitur a Rev.mo Relatore est sequens:

§ 1. Omnis Superior debet notitiam et exsecutionem decretorum Sanctae Sedis, quae sodales Institutorum perfectionis respiciunt, suos inter subditos promovere.

§ 2. Pariter, quilibet Superior, maxime localis, totis viribus curet ut sodales suae sollicitudini concredit propria vocationem plene agnoscant, Deum prae omnibus et unice quaerant, contemplationem, qua Ei mente et corde adhaerent, cum amore apostolico, quo operi Redemptionis adsociari Regnumque Dei dilatare nituntur, coniungant, fraternalm caritatem colant et foveant atque in Christi sequela per evangelicorum consiliorum praxim sint fideles.

§ 3. Subditos suos Superior in observandis legibus et traditionibus proprii Instituti instruat, frequenti verbi Dei expositione nutriat, eos stimulet ut sacram Liturgiam, praesertim sacrosanctum Eucharistiae mysterium, ad mentem Ecclesiae corde et ore peragant atque ex hoc ditissimo fonte vitam spiritualem alant, satagat ut frequenti accessu ad sacramentum Paenitentiae nitori animae prospiciant, eorum necessitatibus corporalibus convenienter subveniat, infirmos sedulo visitet atque curet, corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, patiens sit ad omnes ».

Rev.mus sextus Consultor proponit ut § 1 huius canonis uniatur, ratione materiae, canoni 10, de communione Institutorum cum Sede Apostolica.

Placet omnibus ut hic textus fiat § 2 supradicti canonis 10.

Quoad §§ 2 et 3, quae characterem habent hortatorium, proponit Rev.mus Relator ut uniantur cum canone de residentia superiorum, nam hae paragraphi potius respiciunt superiores minores.

Cum hac propositione concordat Rev.mus sextus Consultor qui tamen exoptat ut novus textus ita redigatur, ut possit applicari omnibus superioribus.

Alii vero Consultores potius exoptant ut hic textus §§ 2 et 3 fiat canon distinctus a se stans, etsi cum necessariis emendationibus.

Canon decimus quartus

Formula proposita ita sonat:

«§ 1. Supremus Instituti moderator aliique Superiores sive locales sive non locales suos habeant consiliarios ad normam constitutionum designatos, quorum consensum aut consilium ad normam iuris communis et particularis cuiusque Instituti exquirant.

§ 2. Sint etiam pro administratione bonorum temporalium oeconomi; generalis qui universi Instituti bona administret, alii vero prout constitutiones cuiusque Instituti praescribunt; qui omnes officio suo fungantur sub directione Superioris.

§ 3. Officium Superioris cum illo oeconomi incompatibile est. Si tamen necessitas id exigat, Superior localis potest ad tempus munus oeconomi localis gerere.

§ 4. Constitutiones modum eligendi oeconomos Instituti determinent».

Quoad § 1, Rev.mus sextus Consultor proponit ut dicatur: «Moderatores omnes habeant consiliarios a iure particulari determinandos».

Hoc in sensu, Rev.mus Relator novam formulam suggerit, scilicet: «Moderatores Institutorum suos habeant consiliarios ad normam iuris particularis designatos, quorum consensum aut consilium ad normam eiusdem iuris particularis exquirant».

Placet omnibus ut canon quoad substantiam ita redigatur.

Quoad §§ 2-4, Rev.mi Secretarius et sextus Consultor proponunt, et propositio accipitur, ut remissio fiat de his quaestionibus ad normas generales Codicis.

Canon decimus quintus

Haec est formula a Relatore proposita:

«Superiores potestatem audiendi confessiones habentes possunt, servatis de iure servandis, confessiones audire subditorum, qui ab illis sponte sua ac motu proprio id petant, at sine gravi causa id per modum habitus ne agant».

Rev.mus sextus Consultor dicendum esse censem Superiores confessiones suorum subditorum audire non debere, nisi iusta de causa et semper per modum actus.

Rev.mus Relator existimat hunc canonem forte collocari posse ubi de Institutis clericalibus agatur, quamvis multis in Institutis laicalibus Superiores sint sacerdotes.

Rev.mus Secretarius fovendam esse censem in canone distinctionem inter forum internum et externum.

Alii Consultores existimant hoc loco agendum tantum esse de obligatione Superiorum curandi ut confessarii habeantur; oportet ut sodales libertate gaudeant.

Denique Rev.mus Secretarius censem hac de re adhuc cogitandum esse, ita ut haec quaestio denuo in proxima Coetus sessione perpendatur.

Huic propositioni ceteri accedunt Consultores.

Sic ergo, precibus de more dictis, huic sessioni Coetus «De Institutis perfectionis» finis imponitur.

Romae, die 29 martii 1969.

I. HERRANZ
Actuarius

Adnexum I*Notae*

1. Motivum quod me induxit ut, post quinque sessiones huius «Coetus studiorum», hoc «Schema generale iuris recognoscendi: De Institutis Perfectionis» praesentarem Rev.mis Consultoribus fuit sequens. Quando munus Relatoris huius Coetus, qui tunc appellabatur: «De Religiosis» acceptavi, labores iam initium habuerant ab aliquo tempore et decem canones iam approbati erant. Schema quoddam generale tractationis materiae iam a praedecessore meo, delineatum fuit quod ego acceptavi. Progrediente vero tempore et mutato titulo Coetus, existimavi divisionem generalem quam illud schema praeseferebat amplius sufficientem non apparere ad Coetum dirigendum in suis laboribus. Requirebantur, meo humili iudicio, ideae magis clarae et determinatae circa lineas generales totius tractationis ut vitari possent dubia, discussiones inutiles et forsitan plures repetitiones. Ob defectum claritatis idearum non parvam inveniebam difficultatem in formulatione canonum, praesertim iis in materiis quae insufficientem tractationem in Codice vigenti habuerunt, sicut omnes vidimus perdurante discussione circa authonomiam internam et dependentiam ab Auctoritate Ecclesiastica Institutorum iuris dioecesani. Difficultas haec maior facta est ob mutationem appellationis nostri Coetus qui nunc vocatur: «De Institutis Perfectionis». Canones enim iam parati continuo agunt de «Statu religioso», de «Instituto religioso», de «votis religiosis» de «vita religiosa», de «domo religiosa», etc. Hae autem expressiones difficulter adaptari possunt ad omnia instituta perfectionis quae magnam varietatem, etiam in aspectibus non accidentalibus, exhibent. Propterea, post discussionem habitam in ultima sessione, necessarium duxi hoc schema generale praeparare illudque Coetui Rev.morum Consultorum praesentare initio huius sextae sessionis. Cum autem de re magni momenti ageretur, Rev.mum Secretarium Commissionis rogavi ut schema paratum a quadam commissione restricta Consultorum examineretur ante praesentationem. Rev.mus Secretarius libenter votis meis annuit et schema examinatum et correctum fuit et tandem, omnibus consentientibus, in hac forma redactum.

2. Iuxta ideam a praecedenti Relatore propositam et a Coetu acceptatam, recognitio huius partis Codicis vigilis, attenta praesertim evolutionem iuris quam eorumdem institutorum perfectionis post Codicis promulgationem, duas partes praeseferre debet. Et ita factum est in schema pra-

sentato. In prima parte, quam vocavi «Partem Generalem», ea tantum praescripta iuris ponenda sunt quae sunt communia omnibus institutis perfectionis, uti ex. gr. erectio et suppressio, relationes dependentiae erga Auctoritatem Ecclesiasticam, regimen internum, admissionem in institutum, etc. Propterea titulus huius partis est: «De iis quae institutis perfectionis sunt communia». Non est tamen necessarium quod quaelibet norma in hac parte inclusa applicari possit cuilibet instituto perfectionis. Instituta enim haec tam varia sunt ut fere impossibile sit leges statuere quae omnibus omnino institutis universim applicari possunt. Ob hoc motivum, iuxta principia directiva iam a nostro Coetu approbata, praescripta in hac parte ponenda generaliora et flexilia esse debent ut quantum possibile erit, omnibus institutis perfectionis applicabilia sint. Secunda pars schematis «Pars Specialis» vocatur et agit «De iis quae nonnullis institutis perfectionis sunt propria». In hac parte nempe considerantur speciales categoriae institutorum perfectionis pro quibus legislatio in prima parte posita non iudicatur sufficiens ob peculiarem naturam, indolem vel finem institutorum in unaquaque categoria. Ita legislatio generalis in prima parte statuta ob suam universaliores qualitatem respicere non potest peculiarem naturam et indolem institutorum monasticorum vel institutorum saecularium, neque finem peculiarem institutorum religiosorum quae operibus apostolatus dedita sunt, neque conditionem specialem institutorum exemptorum. Non proponitur tamen ut in secunda parte schematis completa legislatio statuatur de categoriis institutorum quae ibidem nominantur. Agitur namque tantum de iis quae sunt propria iisdem categoriis. Quae communia sunt inveniuntur in prima parte schematis.

3. Canones praeliminares et canones titulorum I et II iam approbati fuerunt in praecedentibus sessionibus et proinde de iis nihil dicendum est. Tantummodo notare volo istos canones quadam egere revisione ad hoc ut eorum ambitus non coarctetur ad instituta religiosa proprie dicta, sicuti nunc videntur coarctari ob terminologiam ibidem usitatam. Necessarium tamen non videtur ad hanc revisionem faciendam immediate transire ut tempus nimium non absumatur nunc in hac parte. Difficile postea non erit illos canones corrigere.

4. Terminologiam ex parte novam adhibui in rubricis titulorum et articulorum quia in pluribus termini in Codice vigenti adoptati non congruunt cum exigentiis institutorum perfectionis noviter in Ecclesia introductorum. Nec voces et expressiones a Codice usitatae aptae videntur ad includenda omnia instituta quae hodie veniunt sub titulo: «Instituta perfectionis».

5. *Titulus III: «De Institutorum regimine»:* Claritatis gratia, necessarium duxi hunc titulum coarctare ad regimen internum institutorum perfectionis ac canones statuentes dependentiam institutorum ab Auctoritate Ecclesiastica in separato titulo ponere. Verum regimen institutorum est penes Superiores internos eorumdem, licet iura a lege statuta Auctoritatis Ecclesiasticae salva manere debent.

Titulus X Libri II Codicis vigentis in tria capita dividitur in quorum primo agitur «De superioribus et Capitulis», in altero «De confessariis et cappellanis» et in tertio «De bonis temporalibus eorumque administratione». In schema tamen proposito malui titulum de regimine non subdividere. Licet enim caput secundum rubricam habeat «De confessariis et cappellanis», fere unice de confessariis, et praesertim de confessariis religiosarum, agit. Legislatio tamen quoad confessarios religiosorum, prout in Codice iacet, videtur superata et profunda recognitione indiget. Praescriptum can. 518, § 1, de confessariis in religionibus clericalibus, in quantum scio, nullibi observatur et inutile appareat. Iurisdictio specialis pro audiendis confessionibus religiosarum inopportuna censenda est. Non appetat ratio cogens quare religiosae eodem modo ac ceteri fideles tractari non debeant in hac parte eisque eamdem libertatem tribuendi, salva utique religiosa disciplina et auctoritate superiorum. Commoditatis gratia, sacerdos quidam idoneus, et pro posse eiusdem religionis vel saltem spiritualitatis, designandus est pro qualibet communitate laicali, praesertim feminarum, qui statis temporibus communitati praesto sit pro audiendis confessionibus eorum qui eum adire volunt. Idem dicendum est pro domibus formationis.

Quamquam aliquo sensu legislatio circa bona temporalia institutorum et administrationem eorumdem ad regimen spectet, tamen negari non potest eam de obiecto nimis diverso agere. Insuper dubito num de hac re quidquam in hoc loco dici debeat, saltem antequam Coetus qui sectionem «De bonis Ecclesiae temporalibus» recognoscit suam mentem aperuerit. En ratio ponendi «remissive» titulum specialem «De bonis temporalibus Institutorum eorumque administratione».

6. *Titulus V: «De admissione in Institutum»:* Sub rubrica «De admissione in religionem», Titulus XI Codicis vigentis cumulat praescripta quae disciplinam statuunt circa postulatum, novitiatum, novitiorum institutionem, professionem religiosam, tum temporaneam tum perpetuam. Est nempe veluti globalis consideratio diversorum stadiorum institutionis et formationis eorum qui ad vitam religiosam accedunt. Quoad institutionem vero scholasticam Codex dumtaxat praescripta statuit pro sodalibus religio-

num clericalium in Titulo XII: « De ratione studiorum in religionibus clericalibus ». Ob mutatas tamen condiciones sociales inde a Codicis promulgatione et ob defectus qui, experientia magistra, in legislatione Codicis apparuerunt, haec sectio legislationis immutanda est. Imprimis praescripta Codicis recogniti non possunt respicere religiosos dumtaxat sed ad omnia instituta perfectionis ea extendere oportet. Praeterea, nuperime S. Congregatio de Religiosis et Institutis Saecularibus Instructionem promulgavit: « Renovationis causam », diei 6 ianuarii 1969, in qua disciplina quoad admissionem in institutum non parum immutata appareat. Licet documentum hoc familias religiosas directe afficiat, alia quoque instituta perfectio-
nism normas eius sibi applicare possunt in quantum eis adaptari possunt. Tempus praeparationis extenditur non tantum ad postulatum, ubi hic imponitur a iure communi vel particulari, sed etiam ad tempus quod illum praecedit. Tempus quoque probationis non tantum novitiatum includit sed protenditur usque ad perfectam et completam cooptationem in institutum et varias formas assumere potest. Etsi normae huius documenti facultativae potissimum sint et introduci debeant per modum experimenti, recognitio Codicis illas ignorare evidenter non potest.

Propterea Titulum V in quattuor articulos dividere decrevi. In primo articulo praescripta ponenda sunt quae praeparationem recipiendorum respi-
ciantur. Haec praescripta generaliora esse debent ut variis institutis liber-
tas relinquatur determinandi evolutionem et modum huiusmodi praeparationis iuxta propriam indolem et peculiares exigentias. In altero articulo sermo erit de receptorum institutione antequam in institutum cooptentur. Haec institutio coarctari potest ad tempus novitiatus, quocumque nomine hic appelletur, vel ulterius extendi potest, ubi cooptatio non nisi per vincula aut ligamina perpetua cum instituto fit. In tertio articulo agitur de ipsa cooptatione in institutum, sive haec fiat per vota sive per alia sacra ligamina, si temporanea sit sive perpetua. Tandem in quarto articulo normae statui debent circa formationem sodalium post cooptationem quae protendit-
tur usque ad completam sodalium institutionem. Formatio haec non tan-
tum illam moralem et spiritualem comprehendit, sed etiam illam intellec-
tualem et quidem non in institutis clericalibus dumtaxat sed in omnibus institutis perfectionis. Necessitas namque huiusmodi formationis intellec-
tualis hodiernis praesertim diebus sentitur in omnibus institutis, femininis quoque, licet nec eodem grandu nec eodem spatio temporis. Re quidem vera, in pluribus orbis regionibus regulares cursus instituti sunt ad forma-
tionem intellectualis, sive theologicam, sive philosophicam, sive scripturi-
sticam, sive liturgicam, etc. pro sodalibus institutorum femininarum.

Inchoationes huiusmodi non modo fovendae sed et imponendae vi-

dentur, ne sodales institutorum perfectionis in peiori conditione inveniantur quam christifideles laici et membra consociationum laicorum quae in Ecclesia Christi in dies numerosiores fiunt.

7. *Titulus VI «De obligationibus Institutorum eorumque sodalium»:* In Titulo XIII Libri II Codicis vigentis non tantum fit sermo de obligationibus religiosorum sed etiam de privilegiis. Nunc tamen quaestio est non tantum de religiosis sed de omnibus institutis perfectionis ac propterea rectum non videtur hoc in loco canones statuere de privilegiis quae fere unice religiosos respiciunt. Insuper in hac prima parte concordatum fuit ut emphasis fiat in authonomia interna institutorum perfectionis, relictam quaestione exemptionis, quae praecipuum privilegium quorundam institutorum constituit, ad partem specialem huius schematis. Alia autem privilegia quae in capite secundo citati tituli recensentur, potius dicenda sunt iura institutorum vel sodalium ex authonomia interna vel ex indole et fine specifico aliquorum institutorum exurgentia. Praescriptum denique can. 614, quod sodalibus omnium institutorum perfectionis applicabile non videtur, absque ullo incomodo transferri potest ad sectionem ubi agitur de privilegiis clericorum in genere, dum canon 625 in sectione de monachis ponit debet.

8. *Titulus VII: «De Institutorum actione apostolica»:* Titulus iste novus est et profluit ex insistentia plurium documentorum Concilii Vaticani II in officio institutorum perfectionis eorumque sodalium «pro viribus et secundum formam propriae vocationis, sive oratione, sive actuosa quoque opera, laborandi ad Regnum Christi in animis radicandum et roborandum, illudque ad omnes plagas dilatandum» (*Lumen Gentium*, n. 44; cfr. etiam *Christus Dominus*, n. 33). In hac tamen parte normae dumtaxat generales quoad rem statui debent, quae omnibus institutis accommodari possunt, relictis aliis determinationibus ad partem specialem ubi agitur de institutis religiosis operibus apostolatus deditis, de societatibus vitae communis et de institutis saecularibus.

9. *Titulus VIII «De voluntaria separatione ab Instituto»:* Sub hoc titulo coadunantur quae in Codice vigenti praescribuntur in Titulis XIV. et XV. Materia enim connexa est qui a transitus sodalis ab uno instituto ad aliud semper includit egressum e primo. Canones quia transitus respiciunt quadam recognitione indigent eo quod plura requirunt, ad transitum permitendum, quae absque ullo detimento auferri possunt. Agentes de egressu voluntario ab instituto, considerare oportet num indulta excastrationis et saecularizationis, sub alia tamen terminologia, extendi debeant etiam ad sodales institutorum in quibus vota non nuncupantur et num eamdem

formam servare debeant, prae oculis habita « Exclaustratione ad nutum S. Sedis » in praxim inducta post Codicis promulgatione. Attendendum erit utrum, mutatis conditionibus vitae socialis et prae oculis habita praxi novissima S. Sedis concedendi maiori cum facilitate dispensationem ab oneribus ex Sacro Ordine provenientibus, disciplina statuta in Codice amplius sustineri possit. Attendenda sunt etiam facultates concessae Supremis Moderatoribus Religionum Clericalium Iuris Pontificii in Rescripto Pontificio « Cum Admotae » in hac re (cfr. nn. 15-16).

9. *Titulus IX: «De dimissione ab Instituto»:* Disciplina in Codice statuta, potissimum quoad dimissionem sodalium qui vota sollemnia nuncuparunt in religione clericali exempta, nimis implicata appetet. Si sodalis huiusmodi voluntarie institutum derelinquere non velit, in praxi erit fere impossibile illum dimittere. Processus iudicialis de quo agitur in Cap. III, Tituli XVI, Libri II Codicis exigit peritos in re processuali et quidem in hac speciali sectione, qui in paucissimis institutis inveniri possunt. Consequenter Superiores regulariter renuntiant institutioni huius processus, etiamsi clarum omnino sit illum sodalem ob bonum commune instituti dimittendum esse. Salva semper iustitia et copia sese defendendi sodali concessa, Superioribus instituti maior libertas in hac re tribuenda videtur. Difficultates instruendi hunc processum illumque ad exitum deducendi experientia propria cognosco ex munere promotoris iustitiae quod adimpleo in Curia Generalitia Ordinis Fratrum Praedicatorum. Quamvis verum sit quod plures sodales a votis sollemnibus vel perpetuis qui dimittuntur ab instituto clericali sunt in sacris ordinibus, haec tamen circumstantia non videtur ratio cogens diversam disciplinam statuendi pro dimissione sodalium a votis perpetuis in institutis clericalibus exemptis ab illa quae statuitur pro sodalibus a votis perpetuis in aliis institutis clericalibus et laicalibus. Propterea unicam distinctionem proposui in hac materia dimissionis sodalium ab instituto, nempe inter sodales qui dimittendi sunt perdurante cooptatione temporaria et illos qui dimitti debent post perpetuam cooptationem. Claram abs dubio remanet dimissionem a diversa auctoritate fieri debere in institutis iuris dioecesani ac in institutis iuris pontificii. Prae oculis quoque habendum est quod in hac parte non agitur amplius de dimissione sodalium ab institutis religiosis proprie dictis tantum sed ab omnibus institutis perfectionis. Consequentiae dimissionis sodalis qui in institutum perpetuo cooptatus fuerat statui possunt in fine articuli (sicut factum est in Codice vigenti pro consequentiis dimissionis sodalis qui temporarie in institutum cooptatus fuerat) et necessaria non appetet additio specialis articuli ad has consequentias describendas.

10. «*Pars specialis: De iis quae nonnullis institutis perfectionis sunt propria*»: Motivum proponendi hanc secundam partem in schemate generali iam supra exposui (cfr. n. 2, pag. 3-4). Hic dumtaxat remanet explanare divisionem huius partis specialis. Dividitur, haec pars in sectiones, quia agit de diversis categoriis institutorum perfectionis pro quibus normae appropriatae statui debent iuxta uniuscuiusque particularem naturam et positionem quam in Ecclesia obtinent. Necessarium non est hic repetere hac in parte speciali ponenda esse tantummodo praescripta circa id quod proprium est unicuique categoriae. Quoad communia cum aliis categoriis applicanda sunt praescripta quae in prima parte ponuntur, etsi forsitan omnia vel non omnia eodem modo adaptabilia sint. Omnes categoriae institutorum perfectionis quae in Ecclesia inveniuntur enumeratae inveniuntur, nempe: 1) Instituta monachorum, quae includunt etiam instituta seu monasteria monialium, 2) Instituta religiosa, tam clericalia quam laicalia, tam virorum quam mulierum, 3) Societates vitae communis, et 4) Instituta saecularia. In sectione quinta ponuntur Instituta exempta non eo quod haec constituent quamdam categoriam specialem institutorum perfectionis, sed quia necessarium est statuere effectus iuridicos exemptionis in iis institutis quae hac prerogativa gaudent vel in tempore futuro gaudere possunt. Inclusio huius ultimae sectionis in hac parte speciali est consequentia decisionis nostri Coetus studiorum iuxta quam in parte generali mentio exemptionis fieri non debet, sed insistendum est in authonomia interna omnium institutorum perfectionis quae ex ipsa natura eorum tamquam societates ab Ecclesia et in Ecclesia erectae cum indole et fine specifico profluit.

11. «*Sectio prima: De Institutis monasticis*»: Primo loco agendum statui de institutis monasticis tam propter eorum venerabilem antiquitatem in Ecclesia; constituunt enim primam formam vitae organizatae eorum qui consilia evangelica amplexi sunt, quam ratione vitae peculiaris eorum. Constituunt enim categoriam vitae contemplative, quae aliis vitae consecratae formis praevalet. Quamquam instituta monastica ab aliis institutis perfectionis abs dubio probe distinguantur, in Codice vigenti legislatio specialis quae ea respicit non appareat. Immo in plurimis aequiparari videntur aliis institutis religiosis. Iam tamen ab initio laborum nostri Coetus innuitur necessitas cuiusdam legislationis peculiaris pro eis quando eorum specifica natura, etsi tantum negative, panditur: «Religio monastica — dicitur in secundo canone primae sessionis — per se nec clericalis nec laicalis est». Necessarium igitur videtur praescripta specialia etiam in iure communi statuere quae eorum naturae et peculiaribus exigentii accommodantur. Sectio-

nem dividi in tres titulos, imprimis quia alia et alia praescripta statui debent pro monachis et pro monialibus, uti clarum est, et secundo quia pro monasteriis monalium vitae unice contemplativae Concilium Vaticanum II praeceptivo modo et universaliter clausuram papalem imposuit, temporum et locorum necessitatibus accommodatam (cfr. Perfectae Caritatis, n. 16). Pro aliis autem institutis perfectionis clausura non imponitur nisi forsan ex praescripto particularium constitutionum.

12. «*Sectio secunda: De Institutis religiosis operibus apostolatus deditis*»: Exceptis institutis monasticis, omnia instituta religiosa, sive clericalia sive laicalia, quemdam finem specificum habent qui directe vel indirecte ad actionem apostolicam pertinet. Instituta namque clericalia apostolatum eminenter exercent, instituta vero laicalia, tam virorum quam mulierum actionem apostolicam multiplici forma prosequuntur, saltem per exercitium operum caritatis eis ab Ecclesia commisum (cfr. Perfectae Caritatis, n. 8). Cum autem Sacrosanctum Concilium Vaticanum II non paucas normas tradiderit circa ordinationem apostolatus in Ecclesia, etiam quod attinet ad apostolatum religiosorum, et ex alia parte idem Concilium non minori insistentia statuerit apostolatum religiosorum, qui ad ipsam naturam vitae religiosae his in institutis pertinet, iuxta propriam cuiusque vocationem et salva indole et fine instituti necnon disciplina religiosa exercendum esse, planum est quod normae quaedam requiruntur in iure recognito ad totam hanc materiam regulandam, ne ex defectu huiusmodi praescriptorum vel actio apostolica Ecclesiae vel eadem instituta religiosa detrimentum capiant. Propter diversitatem apostolatus quem sodales institutorum clericalium et illi institutorum laicalium generatim exercent, sectionem dividi in duos titulos. Si necessarium videbitur uterque titulus in capita vel articulos iterum dividi potest.

13. «*Sectio tertia: De Societatibus vitae communis*»: Malui titulum breviorem hic adoptare, qui in Constitutione Apostolica: ‘Provida Mater Ecclesia’ apparet, prae illo qui rubricam constituit Tituli XVII, Libri II Codicis vigentis. Ob defectum forsan evolutionis tempore promulgationis Codicis, eo quod tunc temporis huiusmodi instituta delineamenta sufficientia non praeseferebant, legislatio Codicis ea respiciens sat lacunosa et imperfecta apparet. Quamvis talia instituta, ut aperte declaratur in can. 673, § 1, religiones proprie non sint, ex praescriptis canonum qui in illo titulo apparent practice adstringuntur disciplinae quae religiosos respicit. In non paucis tamen considerantur tamquam clerici dioecesani. Etsi dubium adsit num societas huiusmodi, vel saltem quaedam earum, enumerari velint inter instituta perfectionis, in Codice recognoscendo oportet ut defectus

tollantur et lacunae impleantur per legislationem earum naturae, fini et exigentiis peculiaribus accommodatam.

14. «*Sectio quarta: De Institutis saecularibus*»: Haec est novissima categoria institutorum perfectionis quae ex secundo sinu Ecclesiae nata est. Iuridice constituta est post Codicis promulgationem anno 1947 per Constitutionem Apostolicam «*Provida Mater Ecclesiae*» Pii Papae XII. Ex eo tempore fundationes institutorum saecularium non parum multiplicatae sunt et in dies multiplicantur. Legislatio pro institutis saecularibus statuta in praecitata Constitutione Apostolica non sequitur lineas generales disciplinae pro aliis institutis perfectionis determinatas propter diversitatem conditionum vitae quam sodales horum institutorum agunt. Non imponitur ipsis neque vita communis neque vota publica, quia instituta finem omnino peculiarem in saeculum proseguuntur. Haec autem legislatio, sepositis quibusdam ex parte generali quae huiusmodi institutis adaptabilia sunt, in Codice recognito inserenda est, additis necessariis mutationibus et impletis lacunis quae experientia duce in vigenti disciplina apparent. Locus autem proprius huius disciplinae videtur hic inveniri, quia abs dubio instituta saecularia inter instituta perfectionis adnumerari debent.

15. «*Sectio quinta: De Institutis exemptis*»: In Costituzione dogmatica «*Lumen Gentium*» n. 45, Patres Concilii denuo agnoverunt ius Summi Pontificis eximendi ab Ordinariorum loci iurisdictione «quodcumque perfectionis institutum» et etiam singulos sodales, «quo melius necessitatibus totius dominici gregis provideatur... intuitu utilitatis communis» et in Decreto «*Christus Dominus*» dimensionem huiusmodi exemptionis eiusque finem determinarunt. Exemptio nempe «ordinem internum Institutorum potissimum respicit, quo melius in iisdem omnia sint inter se apta et conexa atque incremento et perfectioni religiosae conversationis consulatur; necnon ut de illis disponere possit Summus Pontifex in bonum Ecclesiae Universae». Non videtur dubium quin Summus Pontifex velit in futuro uti hoc iure, magis et amplius quia plura instituta perfectionis iam in iure condito exemptione gaudent vel a iure vel per privilegium et quodammodo videntur habere quoddam ius quaesitum in hac re. Exinde oritur necessitas ut in Codice recognito apprime statuantur et determinantur effectus iuridici huiusmodi instituti iuridici iuxta principia et placita Patrum Concilii. Instituta namque et Ordinarii loci cognoscere debent quid, iuxta novam disciplinam, institutum exemptionis revera importet ne instituta ipsa exempta vel Ordinarii loci a propriis iuribus priventur indebite vel ultra progrediantur quam exemptio eis concedit. Cum autem exemptio, in iure vigenti, non sit concessa omnibus institutis perfectionis nec rationabiliter

praevideatur Summum Pontificem illam extendere velle praedicto modo, locus proprius de ea normas statuendi non est pars generalis sed pars haec secunda ubi, ut iam dixi, agitur de iis quae nonnullis institutis perfectionis sunt propria.

Romae, die 11 mensis martii 1969

Relator

Adnexus II

COETUS STUDIORUM: « DE INSTITUTIS PERFECTIONIS »

Quaestio prima DE TITULO PRAELIMINARI

Nullam intrinsecam difficultatem invenire possum quae coadunationem canonum in prima et secunda sessione huius Coetus approbatorum sub quodam titulo praeliminari prohibeat. Attamen, meo saltem iudicio, quaedam difficultas externa exurgere potest adversus nunc modum procedendi. Codificatores Codicis vigentis methodum fere constantem adoptaverunt praeponendi diversis libris eiusdem Codicis et etiam diversis partibus vel sectionibus librorum quosdam canones praeliminares absque ullo titulo speciali (cfr. pro Libro I, can. 1-7; pro Libro II, can. 87-107; pro sectione I Libri II, 108-110; pro sectione II eiusdem Libri II, can. 215-217; pro parte secunda Libri II, can. 487-491, pro parte tertia, can. 682-683; etc. Absonum proinde non videtur quod alii Coetus Studiorum eamdem sequentur methodum. Uniformitatis autem gratia, opportunum videtur eamdem adoptare methodum in Coetu nostro, nisi appareat ratio cogens quae nos impellit ad viam contrariam sequendam. Fateor me, saltem pro momento, talem rationem non habere, quae tamen forsitan post discussiōnem apparebit.

Si methodus proposita adoptabitur, necessarium erit rubricam idoneam pro huiusmodi titulo invenire. Examen canonum qui in prima et secunda sessione approbati fuerunt demonstrat canones illos, excepto primo, de verborum significatione agere. Unde forsitan non erit inconveniens sequentem ponere rubricam: « De verborum significatione ». Hoc tamen in casu, locus aptior inveniendus est pro primo canone.

Concors etiam sum cum propositione a quibusdam Rev.mis Consultoribus facta inserendi in hoc titulo notionem Instituti perfectionis eorumque distinctionem in diversis categoriis. Haec tamen insertio fieri non potest antequam solvatur salebrosa quaestio de inclusione vel exclusione societatum vitae communis, de qua iam plures sermo factus est. Decisio etiam ferri debet circa numerum categoriarum institutorum perfectionis.

Propositio etiam facta est ut hoc in loco quidam ponantur canones, ex documentis conciliaribus potissimum collecti, circa naturam theologicam status perfectionis eiusque momentum in Ecclesia. Credo quod in hac re cauti esse debemus. Legislatoris non est his in rebus sese ingerere, sed normas et praescripta dare quae disciplinam dirigant. Ceterum, ut iam notatum fuit, iam plura elementa theologica apparent his in canonibus. Non multum inclinor ad illa multiplicanda propter multas difficultates quae inter interpres et forsitan theologos ex hac multiplicatione exurgere possunt, quae claritati legum nocumentum afferre possunt.

Quoad ordinem sequendum in positione canonum in hoc titulo, forsitan primum veniet notio status et instituti perfectionis, cui sequetur distinctio inter diversas categorias institutorum. Postea tradenda erit notio status religiosi et instituti religiosi, cum diversis eius subdivisionibus, deinde subdivisiones in ipso instituto perfectionis organizato, etc. Quaestio simplex non est et non paucae graves difficultates superari antea debent.

Quaestio secunda

DE RUBRICA PARTIS GENERALIS

«*De iis quae Institutis Perfectionis sunt communia*»

Mens mea est ut in hac prima parte schematis, quae generalis vocatur, normae ponantur quibus actus principales statuantur et relationes communiiores decernantur institutorum perfectionis. Cum autem huiusmodi instituta sint admodum varia, normae statuendae necessario generaliora et omnino flexibilia esse debent ut applicari possint omnibus, independenter ab eorum natura, indole et fine. Etsi proinde instituta maximam varietatem ostendant, normae tamen quae in hac parte statuuntur applicari possunt omnibus, licet non semper eodem modo et gradu. Impossibile enim videtur normas eodem modo et gradu omnibus institutis perfectionis statuere. Cum tamen omnia instituta perfectionis genus quoddam constituant, vel saltem analogatum, possibile est ea coadunare in eo quod commune habent et normas generales pro eis statuere. Re quidem vera, si rubricae titulorum huius primae partis examinentur, clarum apparebit eas omnibus in-

stitutis applicari posse. Omnia nempe instituta, in quantum sunt instituta ecclesiastica seu personae morales in Ecclesia egent erectione ex parte Auctoritatis Ecclesiae, possunt mutari, in partes dividi et a competenti Auctoritate supprimi. Similiter, magis vel minus, omnia ab Auctoritate Ecclesiastica dependent, omnia habere debent internam organizationem vel regimen, et ita porro. Libenter admitto quasdam rubricas titulorum mutari posse vel debere, possem quoque admittere quasdam transpositiones in ordine titulorum, sed hoc — ut mihi videtur — quaestionem non mutat, quia omnes actus enumerati et omnes relationes recensitae in hac parte schematis omnibus institutis perfectionis applicari possunt et normae vel praescripta quae in hac parte poni debent ita sunt formulanda ut pro omnibus institutis valeant. Et propterea dixi has normas indolem generaliorem et admodum flexibilem praeseferre debere. Exinde concludo rubricam huius partis generalis optime patefacere quae in hac parte poni debent.

Quaestio tertia

DE RUBRICA PARTIS SPECIALIS

« De iis quae nonnullis Institutis Perfectionis sunt propria »

Consequenter ad ea quae de parte generali dicta sunt, absque magna difficultate intelligi potest normas in parte generali positas sufficere non posse ad vitam institutorum perfectionis rite dirigendam, quamvis ius commune nullo modo statuere possit vel debeat normas particulares pro qualibet instituto. Licet omnia instituta perfectionis sub quodam aspectu generico coadunari possint et pro eis statui possint quaedam praescripta communia, tamen sub alio aspectu sunt inter se admodum diversa et quodlibet eorum constituit veluti speciem atomam. Pro necessitatibus vitae eorum sub hoc aspectu necessarium est ius particulare pro qualibet instituto seu constitutiones propriae cuiusque instituti. Sed qualibet sectio institutorum quae sunt magis affinia sive ratione indolis sive ratione finis specifici, praeter elementum genericum, de quo supra erat sermo, habere possunt plura elementa quae his institutis communia sunt, ita ut quamdam speciem superiorem vel categoriam ab aliis distinctam constituent. Pro qualibet autem categoria evidenter non sufficiunt nec praescripta generalia in prima parte posita nec particulares constitutiones cuiusque instituti et propterea pro istis speciebus vel categoriis institutorum quaedam normae necessariae videntur. Exinde necessitas ponendi partem specialem in iure communi.

Normae tamen iuris communis quae postulari videntur ex indole vel fine peculiari quorumdam institutorum perfectionis multiplicari non de-

bent. Immo, si normae generales in prima parte positae completionem sufficientem habere possunt per particulares constitutiones quorumdam institutorum, Legislator supremus nullam necessitatem habebit normas in parte speciali pro eis statuere, magis et amplius si vellet eis praebere amplam libertatem ut vitam agant et sese evolvant et finem suum consequantur iuxta proprium charisma et propriam indolem. Haec autem videtur esse intentio Concilii per admissionem, etiam in hac parte, principii subsidiarrietatis et iustae ac prudentis decentralizationis. Haec est etiam voluntas Summi Pontificis in ultimis documentis promulgatis et potissimum in Motu Proprio «Ecclesiae Sanctae» et in Instructione «Renovationis causam». Haec est etiam intentio nostri Coetus per approbationem principiorum quae recognitionem iuris «De institutis perfectionis» dirigant. «Ius commune — dicitur in secundo principio — sancire debet dumtaxat principia generaliora quae omnibus institutis applicari faciliter possunt quaeque congruam libertatem eis relinquant ut ad finem suum tendere possint». Et similiter in tertio principio quoad flexibilitatem (cfr. Relacionem tertiae Sessionis, pag. 43-44).^{*} Ideo non necessario in parte speciali huius schematis normae statui debent pro qualibet categoria institutorum perfectionis, sed quatenus quantum et necessarium sit. Sectiones et tituli huius partis nullo modo definitive statuuntur, sed tantum per modum propositionis. Pro qualibet sectione profunda investigatio requiritur. Concludo igitur pro retentione rubricae sicuti iacet.

Quaestio Quarta

DE RELATIONE INTER IUS COMMUNE ET CONSTITUTIONES

Post dicta in duabus prioribus quaestionibus non est multum insudandum ad relationes inter normas iuris communis quae de institutis perfectionis agunt et constitutiones dilucidandas. Constitutiones in iure recognito maius momentum habebunt quam in praesentiarum. Ius commune statuere debet principia constitutiva vitae Deo consecratae et normas generiliores disciplinae quibus in tuto ponuntur iura Ecclesiae et magnum adiutorium quod ei ex apostolatu sodalium horum institutorum provenire debet. Oportet etiam in tuto ponere vitam et activitatem eorumdem institutorum contra abusus sive ab intra sive ab extra. Oportet normas dare quae relationes inter ipsa instituta et auctoritatem ecclesiasticam harmonice statuant. Oportet etiam in Ecclesia constituere iuridica instituta quae in con-

* Cfr. *Communicationes* 18 (1986) 181.

stitutionibus statui non possunt vel non debent, veluti modum erectionis et suppressionis, separationis ab instituto, etc, vel ad ipsa instituta dirigen- da in vita propria ordinanda et in legibus particularibus formulandis, veluti, normas generales de regimine interno, de bonorum administratione, de admissione sodalium, et ita porro. Tandem, quatenus et quantum necessari- um erit ius commune debet normas quasdam tradere pro specialibus ca- tegoriis institutorum, attenta eorum natura, indole et fine. Sed normae quae vitam institutorum intimius et verius dirigere debebunt in propriis constitutionibus cuiusque instituti poni et inveniri debent.

Necessarium tamen non videtur, meo saltem iudicio, in iure communi statuere valorem constitutionum in relatione ad praescripta iuris communi- nis. Hoc imprimis facile non videtur et dependet ex qualitate uniuscuiu- sque normae generalis et deinde valor normae generalis ex eius formulatio- ne et ambitu clare apparebit et consequenter etiam valor constitutionum clara luce patebit.

Die 25 martii 1969

Adnexum III

COETUS STUDIORUM: « DE INSTITUTIS PERFECTIONIS »

RELATIO QUARTA

1. In fasciculo separato Rev.mis Consultoribus huius Coetus pro exa- mine, discussione et approbatione propono: « *Schema Generale iuris reco- gnoscendi: 'De Institutis Perfectionis'* », cui additae sunt notae explicativae. Necessitas approbandi huiusmodi schema in praesenti stadio laborum nostri Coetus iam in praeteritis sessionibus sentiebatur ob difficultates obor- tas potissimum in formulatione canonum, quia delineatio proposita a meo praedecessore in munere Relatoris amplius sufficiens non videbatur ut novi canones apte in cornice totius tractationis huius partis iuris recognoscendi viderentur atque insererentur. Hoc ob motivum in ultima sessione propo- sui ut schema hoc generale pararem ad subsequentes labores Coetus facilior- es et forsan expeditiores reddendos. Cum autem de re ageretur non parvi momenti, Rev.mo Secretario Commissionis proposui ut a restricta Com- missione Rev.morum Consultorum nostri Coetus schema generale exami- neretur. Quod factum est, benigniter annuente eodem Secretario, sicut in notis eiusdem schematis exposui.

TITULUS III: « DE INSTITUTORUM REGIMINE »

2. Quamquam in prima et tertia Relatione iam quosdam canones proposuerim ad regimen internum Institutorum spectantes, necessarium tamen duxi in hac quarta Relatione universam hanc materiam iterum ab initio tractare et examini subiicere. Rationes quae ad hoc me induxerunt sunt: *a)* in dictis Relationibus, cum Coetus noster tunc « De religiosis » appellabatur, tractatio respiciebat potius Instituta religiosa stricto sensu sumpta; quod nunc, mutato titulo Coetus, qui: « De Institutis Perfectionis » vocatur, amplius non oportet facere; *b)* etsi schema generale, de quo supra locutus sum, adhuc approbationem huius coetus non habuerit, opportunum censui canones de regimine Institutorum in luce huius schematis redigere, tam quia spem habeo schema huiusmodi, saltem in suis lineis generalibus approbatum iri, quam ob inconvenientias quae exinde abs dubio sequentur. Nam, sicut iam dixi in notis illustrativis schematis generalis, canones iam approbati fere necessario quamdam revisionem subire debebunt proper ampliationem ambitus obiecti, quae mutationem appellationis nostri Coetus sequitur.

3. *Canon primus*

Superiores et Capitula omnium Istitutorum perfectionis, ad normam iuris communis et propriarum Constitutionum, potestatem dominativam in subditos obtinent; in Institutis autem clericalibus gaudent quoque iurisdictione ecclesiastica tam pro foro interno quam pro foro externo.

Notae:

- a)* Canon iste iam approbatus est in praeterita sessione; unde notae explicativae adiungi non debent.
- b)* Observare tamen volo in Relatione V^{ae} Sessionis inversionem ordinis inter Capitula et Superiores, de qua discussio et decisio ibidem habita iam fuerat, per oblivionem factam non fuisse. Hunc defectum ego in canonie supra relato correxi.
- c)* Ob rationes in superioribus duobus numeris allatas, loco « omnium Institutorum religiosorum » posui: « *omnium Institutorum perfectionis* ». Meo autem iudicio, mutatio haec nullam in iure praesefert difficultatem, quia potestas dominativa est generalis pro omnibus societatibus et extensio

potestatis iurisdictionis omnibus Institutis perfectionis quae clericalia sunt nullum incommodum afferre videtur.

4. Canon secundus

Meminerint Superiores potestatem eis datam esse non ut in subditos dominentur sed ut his in Domino serviant ac ministrent, iuxta Christi exemplum et monitum: «Qui maior est vestrum fiat minister vester» (Matth. 20,26). Itaque, subditos ut filios ac fratres (in Christo) diligent elaborentque ut hortando et monendo ab illicitis deterreant ac ad perfectiora verbo et exemplo inducant, debita observantia, benignitate et caritate pertractent, sicut decet filios Dei, ut sine asperitate disciplina, salutaris ac necessaria, conservetur.

Notae:

a) Canon est hortatorius et includit potius obligationem moralem quam stricte iuridicam. Attamen, mea saltem opinione, opportunum videatur, potissimum nostris temporibus, monitum huiusmodi in mentem Superiorum revocare.

Congruit etiam hoc monitum menti Concilii Vaticanii II et Summi Pontificis. Canon enim fere ad verbum ex documentis conciliaribus et ex motu Proprio «Ecclesiae Sanctae» desumptus est. Iam in Relatione tertia hunc canonem proposui, qui tamen penuria temporis examinatus non fuit.

b) In votis est ut similis canon hortatorius proponatur loco opportuno, quo debita reverentia et obsequium subditorum erga Superiores aptis verbis inculcentur. Si enim convenit ut Superioribus indicetur obligatio officium assumendi et exercendi in spiritu servitii et ministerii erga subditos, forsitan magis necessarium est subditos monere de stricta obligatione non solum Superioribus obediendi sed etiam eos diligendi et reverenter obsequendi tamquam patres.

5. Canon tertius

Superioribus quibuslibet districte prohibetur quominus in causis S. Congregationi pro Doctrina Fidei reservatis sese intromittant.

Notae:

a) Praescriptum huius canonis fere ad pedem litterae desumptum est ex § 2 can. 501 Codicis Iuris Canonici. Cum coarctationem quamdam

constitutat potestatis Superiorum, illud posui tamquam canonem distinctum a primo canone et propterea secutus non sum methodum a Codice usitatam.

b) Licet emendatio normarum propriarum huius S. Congregationis modum procedendi eius non parum immutaverit, potissimum in causis via iudiciali tractandis, ex Constitutione tamen Apostolica «Regimini Ecclesiae Universae» diei 15 mensis augusti 1967, clarum liquet eam plures quaestiones sibi reservatas adhuc habere, nec ullibi dicitur Superiores Institutorum perfectionis iura quaedam in illis acquisivisse post emendationem normarum et post promulgationem citatae Constitutionis Apostolicae. Propterea canon suum momentum adhuc retinet.

6. *Canon quartus*

Supremus Instituti moderator potestatem obtinet in omnes Instituti partes, quocumque nomine veniant, domos et sodales iuxta Constitutiones quae eiusdem potestatis exercitium definiant; alii Superiores potestate gaudent intra fines sui muneric et iuxta determinationem earundem Constitutionum.

Notae:

a) Canon substantialiter refert praescriptum can. 502 Codicis Iuris Canonici, quod nunc tamen extenditur ad Superiores cuiuslibet Instituti perfectionis. Principium flexibilitatis a Coetu nostro admissum pro normis iuris communis, in hac parte exigit ut congrua libertas Institutis perfectio- nis relinquatur in eorum regimine interno statuendo. Quapropter, deter- minationi iuris particularis cuiusque instituti reliqui non tantum modalita- tem exercitii potestatis Supremi Moderatoris aliorumque Superiorum sed etiam definitionem eiusdem potestatis. Licet enim potestas Supremi Mo- deratoris et Superiorum maiorum sit regulariter immediata, sive in univer- so instituto sive in aliqua eius parte et etiam in singulas domos et singulos sodales, malui determinationem relinquere ipsis institutis in proprio iure parti- culari, ut regimen internum melius unicuique instituto adaptari possit iuxta naturam, indolem, traditiones, finem et peculiares exigentias cuius- que instituti.

b) Cum nomen «provincia» in hac parte iuris potius ad organizatio- nem stricte religiosam pertineat cumque complura instituta perfectionis il- lud vocabulum amplius non adhibeant ad designandam maiorem divisio- nem instituti, nomen illud respui et loco eius phrasem inserui: «... in om- nes Instituti partes, quocumque nomine veniant». Etsi domus quoque par-

tes sint instituti, non puto aequivocationem sequi posse eo quod nomen domus immediate sequitur post dicta verba.

c) Cum potestas iurisdictionis fori externi per canonem primum supra relatum et iam approbatum extensa sit ad omnia instituta clericalia, silui de praescripto can. 503 Codicis Iuris Canonici. Nil enim vetat quominus talia instituta instituant notarium pro negotiis eorumdem institutorum. Res denique non videtur tanti ponderis.

7. *Canon quintus*

Ad munus Supremi moderatoris instituti et Superiorum non localium inhabiles sunt qui a decem annis in institutum non sunt cooptati; pro ceteris requisitis in iisdem et in aliis Superioribus servetur ius particulare cuiusque instituti.

Notae:

a) Citato principio flexibilitatis suffultus, nolui praescriptum iuris communis pluribus conditionibus, quae libertatem institutorum nimis coarctant, oberare. Idcirco, ex qualitatibus a can. 504 Codicis vigentis pro munere Supremi moderatoris et Superioris maioris requisitis, unam tantum retinui, nempe decennium a cooptatione in institutum, relictis aliis determinationibus iuris particularis, iuxta peculiaria adiuncta diversorum institutorum. Immo, cum ex normis Instructionis «Renovationis causam» a S. Congregatione pro Religiosis et Institutis Saecularibus nuperrime promulgatae, satis compertum non sit num vera cooptatio in institutum habebatur quando praeparatio ad incorporationem perfectam per professionem perpetuam fit absque votis temporis vel consuetis vinculis temporariis (cfr. Instr. «Renovationis Causam», m. 7 et 35, II), intime persuasus non sum de necessitate statuendi decennium a cooptatione pro munere Supremi moderatoris et Superiorum non localium.

b) Insistendum non putavi in exigenda aetate 40 annorum pro munere Supremi moderatoris et 30 annorum pro illo Superioris non localis. Tendentia namque hodie pluribus in istitutis habetur eligendi vel instituendi Superiores aetate iuvenes et non raro dispensatio a S. Sede petitur ob defectum aetatis. Omissa est etiam exigentia legitimatis natalium utpote a sensu et aestimatione populorum aliena. Nil tamen vetat quominus dictae conditiones a iure particulari institutorum requirantur.

c) Loco dicendi «Superiores Maiores» malui adhibere verba:

«Superiores non locales». Expressio enim «Superiores maiores» generatim religiosis stricte dictis reservatur. Volui etiam institutis libertatem

concedere adoptandi novas appellationes, sicuti plura instituta non sunt cunctata facere.

d) Circa qualitates requisitas pro Antistita monasterii monialium nihil speciale hoc in loco dicendum censui. Unde norma generalis hic statuta ei quoque applicanda erit. Si quid amplius statuendum erit, reservabitur ad sectionem specialem de institutis monasticis sub titulo: « De monialibus ».

8. *Canon sextus*

Supremus Instituti moderator ad definitum tempus eligatur, nisi aliter ferant Constitutiones; ceteri autem Superiori sint temporarii, iuxta determinationem iuris particularis Institutorum et si locales sint ad tempus ultra triennium ne constituantur. Exacto tempore pro quo Superiori temporarii constituti sunt, ad idem munus iterum assumi possunt, si id ferant Constitutiones, sed non immediate tertio in eodem munere, sive in eodem loco sive alibi.

Notae:

a) Necessarium existimavi distinctionem ponere inter officium Supremi moderatoris instituti aliorumque Superiorum non localium. Statui imprimis ut Supremus moderator per electionem constituatur: quod convenit cum principio a Coetu admisso participationis sodalium in regimine instituti. Ceterum, in quantum scio, hodie nullus Supremus Moderator constituitur nisi per electionem, excepto casu specialissimo quando ob gravia adiuncta directe constituitur a Suprema Ecclesiae Auctoritate.

b) Quoad tempus per quod Supremus moderator in officio permanere potest, regulam generalem posui iuxta quam ipse ad tempus definitum in munere permaneat, absque tamen ulla determinatione. Hoc congruere videtur et cum generali tendentia nostri temporis, ut nempe omnes Superiori sint temporarii, et cum debita libertate institutorum in determinandis conditionibus officii Supremi moderatoris. Impossibile tamen mihi videbatur, hodiernis saltem in adiunctis, exceptionem aliquam non admittere, quia, ut notum est, existunt instituta tam antiqua quam moderna quae Moderatorem Supremum constituunt per totam vitam in munere permanentem. Et omnes norunt quam difficile sit hanc normam mutare in dictis institutis.

c) Pro omnibus aliis Superioribus Institutorum, sive locales sint sive non locales, proposui ut temporarie in officio manere debent; pro localibus tamen per tempus non ultra triennium, sicut iam erat statutum in can. 505. Quod attinet ad Superiori non locales, adverti ad difficultatem quae

provenit ex consideratione officii Abbatis monasterii sui iuris, qui ad normam can. 488, 8º Codicis vigentis inter Superiores maiores adnumeratur. Ex traditione autem Abbates monasterii ad vitam constituuntur. Hoc tamen non obstante, malui exceptiones non admittere hoc in loco. Si autem Abbates huiusmodi in iure recognito adhuc deberent ad vitam constitui, exceptio poni potest in sectione speciali partis secundae ubi sermo erit de peculiaribus normis pro institutis monasticis.

d) Opportunum tandem duxi simpliciter non admittere tertiam assumptionem Superioris ad idem officium immediate post secundam, sive hoc fiat per postulationem sive alio modo. Item, ad vitandam in institutis, praesertim parvis et mulierum, creationem alicuius oligarchiae quae practice regimen instituti in manu tenet per longum tempus, melius est ut post secundam assumptionem ad idem officium, non detur possibilitas ad aliam assumptionem ad idem officium in alia parte instituti vel in alia domo, potissimum si tale Superioris non constituantur per electionem sed per institutionem a suprema auctoritate in istituto. Hoc proposui non sine dubitatione, quia conscius sum de difficultatibus quae ex hoc systemate oriri possunt. Ex alia parte tamen cognosco effectus nocivos in pluribus institutis ubi iidem Superioris tales remanent fere usque ad mortem.

9. *Canon septimus*

§ 1. Superiores non locales per electionem constituantur; locales autem iuxta determinationem Constitutionum cuiusque instituti.

§ 2. His in electionibus iusta ac rationalib[us] participatio omnium sodalium Instituti vel respectivae partis eius habeatur, saltem per electos reprezentantes iuxta Constitutionum praescripta.

§ 3. Antequam ad Superiorum electionem deveniatur (in Institutis viorum) omnes et singuli e Capitulo iure iurando promittant se electuros quos secundum Deum eligendos esse existimaverint.

§ 4. In mulierum Institutis iuris dioecesani electioni Antistitiae seu Modestricis generalis praesideat per se vel per alium Ordinarius loci in quo electio peragitur; (cui peractam electionem confirmare vel rescindere integrum est pro conscientiae officio).

Notae:

a) In praecedenti canone iam clare dictum est Supremum moderatorem per electionem officium suum obtinere, unde necessarium non appa-

ret in § 1 huius canonis iterum hoc repetere. Ceterum inter Superiores non locales rite adnumerari potest. Canon 506, § 1 Codicis Iuris Canonici loquitur de « electione » Superiorum maiorum, quamvis nullibi imponatur ut omnes per electionem constituantur. In § 1 proposui ut omnes Superiores non locales per electionem munus obtineant, quia hoc magis consonum mihi appetet cum principio participationis sodalium in regimine a Coetu approbato et cum socialibus conditionibus nostri temporis.

b) Opportunum duxi principium praedictum clare statuere pro omnibus Superiorum electionibus; quod feci in § 2.

c) § 3 refert praescriptum can. 506 Codicis vigentis, quod tamen extenditur ad electionem omnium superiorum. Forsitan lex vigens huiusmodi iusiurandum imposuit dumtaxat in institutis virorum ad praecavendas anxietates et dubietates conscientiae mulierum quae illud facere debent. Item, forsitan Legislator illud mulieribus imponere noluit quia in earum electionibus fere semper adest Ordinarius loci vel alias sacerdos eum repraesentans, qui regulariter electioni praesidet. Distinctio tamen inter electiones in institutis virorum et mulierum hodie admittenda non videtur, quia mulieres sat evolutae sunt et capaces responsabilitatem in hac re assumendi. Quapropter opto pro deletione verborum: « in institutis virorum ».

d) Eodem motivo coarctavi necessitatem praesentiae Ordinarii loci pro electione Supremae moderatricis in institutis iuris dioecesani, in quibus non praesumitur haberi illa maturitas quae in institutis iuris pontificii deberet adesse. Anceps sum num Ordinario loci in casu ius concedi debeat rescindendi electionem peractam, cum rescissio huiusmodi appareat tamquam gravis ingerentia in regimine interno instituti et ansam praebere possit gravibus abusibus.

10. *Canon octavus*

§ 1. *In electionibus quae a Capitulis fiunt, servetur ius commune, de quo in can., praeter cuiusque Instituti constitutiones eidem non contrarias.*

§ 2. *Caveant omnes a directa vel indirecta suffragiorum procuratione tam pro seipsis quam pro aliis.*

Notae:

a) Praescriptum § 1 refert verba can. 507, § 1 prout iacent, sed mutato nomine « religionis » in « instituti ».

b) Cum in pluribus institutis mos adsit habendi tractatus super electione, una alterave die antequam electio locum habeat, dubito num praescriptum § 2, quod in § 2 can. 507 invenitur, servari debeat necne.

c) In notis ad calcem canonis 6 supra positi (cfr. notas c), d), pag. 6) iam exposui motiva quae me induxerunt ad reiiciendam postulationem in electionibus Superiorum. Quapropter in hoc canone octavo non inserui § 3 can. 507 Codicis Iuris Canonici.

11. *Canon nonus*

In sua quisque domo Superiores, maxime locales, commorentur nec ab eadem descendant, nisi ad normam constitutionum.

Nota:

Sunt verba can. 508 legislationis vigentis, quibus addidi «maxime locales», quia obligatio residentiae huiusmodi Superiorum magis necessaria est et magis stricta pro bono communitatis. Abs dubio, haec obligatio imponitur tantummodo Superioribus illorum institutorum perfectionis quae vitam communem ex praescripto iuris communis vel ex propriis constitutibibus servant.

12. *Canon decimus*

Quilibet Supremus moderator Instituti perfectionis iuris pontificii tenetur, quinto quoque anno, relationem de statu Instituti ad Sanctam Sedem mittere per documentum a se et suo Consilio subsignatum.

Notae:

a) Refertur hic praescriptum can. 510. Modo tamen generali proposui ut obligatio hic imposita respiciat omnes Moderatores supremos institutorum perfectionis, absque ulla specificatione. Si obligatio huiusmodi imponna erit quoque Abbatи Primati et Superiori Congregationis monasticae, locus hoc statuendi vel ad hunc canonem relationem faciendi in sectione speciali de institutis monasticis inveniendus est.

b) Necessarium non videtur addere: «vel saepius, si ita ferant constitutiones», quia ex una parte paucissima sunt instituta quorum constitutiones hanc continent obligationem et ex alia quia haec verba nullam novam obligationem imponunt.

c) Cum subiecta obligationis in hoc canone statutae sint Moderatores supremi Institutorum iuris pontificii, non duxi opportunum adiungere ultimam partem can. 510 Codicis vigentis: «... et, si agatur de Congregatio-ne mulierum, etiam ab Ordinario loci in quo suprema Antistita cum suo Consilio residet». Tempus enim faciendi istas discriminationes inter viros et mulieres videtur esse iam praeteritum.

13. *Canon decimus primus*

Superiores Institutorum quos ad hoc munus constitutiones designant, obligacione adstringuntur domos et sodales sibi subiectos visitandi, per se vel per alios, si legitime fuerint impediti, temporibus in constitutionibus definitis.

Notae:

a) Substantialiter canon refert praescriptum can. 511 Codicis vigentis. Non nominantur Superiores Maiores quia haec terminologia magis adaptata videtur iuri religiosorum stricte dictorum. In canone tamen loqui debeamus de obligatione visitationis in omnibus institutis perfectionis. Ceterum, cum dicatur: «quos ad hoc munus constitutiones designant», necessarium non est in iure communi melius identificare Superiores quibus obligatio imponitur, quia specificatio fieri debet in iure particulari cuiusque instituti. Ita, relinquitur eisdem institutis maior libertas determinandi Superiores qui visitationem peragere debent iuxta particularia adiuncta et peculiarem indolem cuiuslibet instituti.

b) Dixi: «domos et sodales» ad significandum quod obligatio visitationis non sese refert tantum ad communitatem uti talem, quod significatur per verbum; «domus», sed includit etiam individuos. Visitatio namque, quae medium aptissimum est conservationis et renovationis vitae perfectio-nis, alias quoque fines prosequitur, veluti consolationis afflictorum, anima-tionem timidorum, correptionem neglegentium, etc.

14. *Canon decimus secundus*

Visitatori legitime interroganti sodales obligatione tenentur respondendi secundum veritatem, nec Superioribus aut aliis fas est quoquo modo eos ab hac obligatione averttere aut visitationis scopum aliter impedire.

Notae:

a) Loco dicendi: «Visitator ius et officium habet interrogandi religiosos quos oportere iudicaverit et cognoscendi de iis quae ad visitationem spec-

tant», sicut habetur in can. 513, § 1, propono simpliciter: «Visitatori legitime interroganti». Mihi inutile videtur affirmare visitatorem ius et officium haberet... et cognoscendi de iis quae ad visitationem spectant. Hoc namque includitur in ipso nomine et munere visitatoris et constat sive ex officio Superioris quod habet sive ex litteris institutionis. Ad hoc autem ut visitator non excedat limites suae competentiae addidi «legitime». Tandem, mihi visum est necessarium addere «aut aliis» quoad obligationem non avertendi sodales ab obligatione respondendi secundum veritatem visitatori aut non impediendi scopum visitationis. Haec obligatio non gravat tantum Superiores sed omnes. Immo, videtur haberi obligatio communaria qua omnes tenentur cooperari ut visitatio, quae ut supra dixi est medium optimum conservationis et renovationis disciplinae, plene suum sortiatur effectum.

b) De possibilitate recursus vel appellationis a decretis visitatoris, de qua in can. 513, § 2 Codicis vigentis, nihil hic dicendum existimavi, cum agatur de mera applicatione normarum generalium iuris et principium alibi statuendum esse.

15. *Canon decimus tertius*

§ 1. *Omnis Superior debet notitiam et execusionem decretorum Sanctae Sedis, quae sodales Institutorum perfectionis respiciunt, suos inter subditos promovere.*

§ 2. *Pariter, quilibet Superior, maxime localis, totis viribus curet ut sodales suae sollicitudini concredi propria vocationem plene agnoscant, Deum praे omnibus et unice quaerant, contemplationem, qua Ei mente et corde adhaerent, cum amore apostolico, quo operi Redemptionis adsociari Regnumque Dei dilatare nituntur, coniungant, fraternalm caritatem colant et foveant atque in Christi sequela per evangelicorum consiliorum praxim sint fideles.*

§ 3. *Subditos suos Superior in observandis legibus et traditionibus proprii Instituti instruat, frequenti verbi Dei expositione nutriat, eos stimulet ut sacram Liturgiam, praesertim sacrosanctum Eucharistiae mysterium, ad mentem Ecclesiae corde et ore paragant atque ex hoc ditissimo fonte vitam spiritualem alant, satagat ut frequenti accessu ad sacramentum Paenitentiae nitori animae prospiciant, eorum necessitatibus corporalibus convenienter subveniat, infirmos sedulo visitet atque curet, corripiat inquietos, consoletur pusillanimos, patiens sit ad omnes.*

Notae

a) Paragraphus prima verbatim desumpta est ex can. 59, § 1, mutata propositione: «quae religiosos respiciunt» in: «quae sodales Institutorum perfectionis respiciunt». Cum autem sub nomine «Instituta perfectionis» veniant categoriae sat diversae, et decreta S. Sedis possint aliquam tantum categoriam eorum respicere, forsan melius esset si dicatur: «quae sodales respiciunt».

b) In secunda et tertia paragrapho ex diversis fontibus et praesertim ex Decreto Conciliari «Perfectae caritatis» et ex Regula S. Augustini collegi, modo descriptivo, quae ad officium Superioris erga subditos pertinent. Nescio utrum hae duae paragraphi bene concordent cum prima. Libenter concordarem si Rev.mis Consultoribus magis opportunum visum fuerit ut hae paragraphi in canonem distinctum constituantur. Licet praescripta in his paragraphis posita magis pastoralia sint quam iuridica, meo humili iudicio, nullum habebitur incoveniens ex earum inclusione in hac parte.

c) Quae praescribuntur in § 2 can. 508, licet non expressis verbis, videntur inclusa in §§ 2 et 3 huius canonis. Quapropter necessarium non duxi de eis expresse in hoc canone loqui. Ceterum, ius particulare cuiusque instituti abs dubio imponit quae ibidem praescribuntur.

d) Quae in praecedentibus sessionibus approbata sunt quoad visitationem pastoralem Ordinarii loci tam in domibus institutorum iuris dioecensi quam in illis institutorum iuris pontificii supervacaneum reddunt praescriptum can. 512, ac proinde necessarium non est iterum hic quidquam statuere. Ulteriores determinationes quoad rem relinquenda videntur pro parte speciali, ubi sermo erit de monialibus et de institutis quae normas proprias requirunt.

16. *Canon decimus quartus*

§ 1. *Supremus Instituti moderator aliique Superiores sive locales sive non locales suos habeant consiliarios ad normam constitutionum designatos, quorum consensum aut consilium ad normam iuris communis et particularis cuiusque Instituti exquirant.*

§ 2. *Sint etiam pro administratione bonorum temporalium oeconomi; generalis qui universi Instituti bona administret, alii vero prout constitutiones cuiusque Instituti praescribunt; qui omnes officio suo fungantur sub directione Superioris.*

§ 3. *Officium Superioris cum illo oeconomi incompatibile est. Si tamen necessitas id exigat, Superior localis potest ad tempus munus oeconomi localis gerere.*

§ 4. *Constitutiones modum eligendi oeconomos Instituti determinent.*

Notae:

a) Paragraphus prima continet praescriptum can. 516, § 1 Codicis vi gentis omnibus institutis perfectionis accommodatum. Mentio Moderato ris Congregationis monasticae hic fieri non debet, sed applicatio huius praescripti ei fieri oportet in parte speciali de institutis monasticis. Distinctio nem inter domos formatas et non formatas hic non posui quia nescio utrum omnibus institutis perfectionis applicari debeat an institutis religiosis reservari. Dixi: «ad normam constitutionum designatos» ut ius particula re de hoc provideat.

b) In § 2 distinctionem non posui inter oeconomos provinciales et lo cales, prout habetur in § 2 can. 516. Melius videtur libertatem institutis in hac re concedere et propterea proposui: «alii vero prout constitutiones cuiusque Instituti praescribunt». Re quidem vera, non desunt instituta, etiam religiosa, quae unicam bonorum administrationem in provincia ha bent. Quodnam sit sistema melius dependent ex indole peculiari et fine instituti.

c) Opportunum duxi statuere principium generale incompatibilitatis inter munus Superioris et illud oeconomi, et superiori locali concedere fa cultatem munus oeconomi localis gerendi quando necessitas hoc requirit et dumtaxat ad tempus. Agitur de quaestione omnino delicata et a periculis non aliena.

d) In ultima § generaliter statui ut omnia instituta modum seligant, eorum naturae et exigentiis magis aptum, quo diversi oeconomi constitui debent.

e) De praescriptis canonum 514, 515, 517 nihil dicendum in hoc schemate putavi. Canon enim 514 vix ulla ratione includi potest inter can ones de regimine institutorum perfectionis et aptius collocari potest in parte speciali de institutis religiosis. Can. 515 de re tam parvi momenti agit ut absque ullo incommmodo derelinqui possit. Tandem, dubito num omnibus institutis virorum iuris pontificii imponatur nunc vel imponi de beat constitutio procuratoris generalis. Quapropter abstinui a propositione praescripti specialis in hac re donec, collatis consiliis cum aliis Rev.mis Consultoribus, decisio feratur.

17. *Canon decimus quintus*

Superiores potestatem audiendi confessiones habentes possunt, servatis de iure servandis, confessiones audire subditorum, qui ab illis sponte sua ac motu proprio id petant, at sine gravi causa id per modum habitus ne agant.

Notae:

a) Canon refert praescriptum can. 518, § 2 Codicis Iuris Canonici, deleto verbo «religiosi». Quamquam hoc praescriptum maius momentum habet pro institutis quae vitam communem servant, nihilominus opportunum duxi illud proponere ad praecavenda pericula quae ex eius deletione certe habebuntur.

b) Quoad deputationem confessariorum in domibus instituti clericalis, nihil existimo dicendum quia talis deputatio inutilis est et, quamvis in can. 518, § 1 praescribatur, non credo ullum institutum umquam normam ad proxim reduxisse. Nec dici potest huiusmodi deputationem necessariam esse in institutis clericalibus exemptis propter casus reservatos in eodem instituto statutis. Nescio utrum habeatur aliquod institutorum quod casus reservaverit, sed etiamsi habeatur sufficit iurisdictio ad confessiones audiendas ab Ordinario loci concessa ad absolutionem concedendam. Hanc autem iurisdictionem generatim habent omnes qui iurisdictionem in instituto acceperunt.

c) Praescriptum can. 518, § 3, si cum norma § 3 comparetur, appet inutile. Si enim Superiores, potestatem audiendi confessiones habentes, audire possunt confessiones subditorum dumtaxat si hi sua sponte ac motu proprio id petant et quidem per modum actus, clarum remanet quod Superiores non possunt subditum per se vel per alium, vi, metu, importunis suasionibus aliave ratione inducere ut peccata sua apud se confiteatur. Hoc ob motivum praescriptum hoc delendum esse videtur.

d) Pariter inutile appet praescriptum can. 519. Nemo umquam dubitavit de validitate confessionis religiosi viri, qui peccata sua confitetur sacerdoti, etiam ad institutum non pertinenti, ab Ordinario loci approbato.